NOTÆ
AD SINGULOS
PANDECTARUM
TITULOS,
VARIAS JURIS ROMANI
ANTIQUITATES,
IMPRIMIS
VSVM EJVS HODIERNVM IN FORIS
GERMANIÆ OSTENDENTES
IN USUM
AUDITORII THOMASIANI.
CUM PRIVILEGIO POLONIARUM REGIS
ET SAXONIÆ ELECTORIS.

HALAE MAGDEBURGICAE A. 1713.
PROSTAT IN OFFICINA LIBRARIA RENGERIANA.

NOTÆ ad PANDECTARUM

LIB. I.

TIT. I.

De justitia & jure.

SUMMARIA.

Lex divina positiva universalis an detur? Interpretatio declarativa quotuplex? An usus distinctionis in interpretationem extensivam, restrictivam & declarativam? An usus hujus tituli in genere? An in specie quoad jus principum circa sacra?

Cum *ad Instit. tit. 1. de justitia & jure*, tam de definitione, quam divisione juris & jurisprudentiæ actum sit, addenda hic quædam sunt de lege divina positiva universali, de qua, occasione divisionis juris in divinum & humanum *Lex divina positiva universalis an detur?*

recentiores quidem Pandectarum interpretes mentionem faciunt. Adstruxi hanc legem positivam universalem latius,& ejus naturam exposui *in institutionibus jurisprud.div.lib.1.* Postea tamen sentiens,ea quæ communiter ex legibus ejusmodi positivis deduci solent, vel plane non obligare omnes homines, ut illam de puniendo capitaliter homicida, item adultero &c. vel posse deduci ex ratione naturali regularum honesti & decori, iterum destruxi hanc legem positivam universalem in *Tom.VI. observ. Halens. Select. obs. 27. §. 43. seq.* ubi & latius actum de responsionibus ad criteria legis illius positivæ universalis; Conf. *Disput. de jure Princip. evangel. aggratiandi homicidam dolosum cap. 1. §. 17. c. 2. §. 5. 6. 7. cap. 4. §. 2. 3. 4.*

Interpretatio declarativa quotuplex? An usus distinctionis in interpretationem extensivam, restrictivam & declarativam?

Uti autem jurisprudentia consistit in interpretatione & applicatione legum; ita interpretatio dividitur in declarativam, extensivam & restrictivam, vide dicta *in instit. Jurispr. div. lib. 2. c. 12. §. 9. seq.* quibus tamen addendum. Interpretationem declarativam esse vel grammaticam, scilicet si verba sint perspicua, quorsum etiam pertinet interpretatio terminorum technicorum, vel logicam, quoties scilicet sensus est obscuscurus & dubius, quorsum etiam pertinet, si dubium sit, an verba sumantur in sensu lato vel stricto, quam communiter, sed parum commode referunt ad interpretationem extensivam vel restrictivam. Cæterum etsi doctores usum hujus distinctionis in eo quærant, quod singulæ interpretationum species habeant quasdam sibi proprias interpretandi regulas, quam opinionem etiam secutus sum in *dicto cap. 12.* re tamen accuratius examinata, deprehendi, usum illum potius confun-

fundere quam erudire, quare & emendavi illam opinionem priorem in *Fundam. juris nat. & gent. lib. 2. c. 12. §. 1. 2.*

Quod usum forensem tituli hujus attinet, de eo frustra quæritur, cum non tradat leges romanas proprie dictas, sed principia communia, maximam partem moralia. *An usus hujus tituli in genere?*

Etsi vero in *l. 1. § 2. ff. h. t.* jus publicum in sacris & sacerdotibus consistere dicatur, etsi etiam Justinianus & Imperatores, quorum constitutiones collegit Imperator in Codice, potestatem condendi leges ecclesiasticas exercuerint, & eandem potestatem legislatoriam exerceant etiam Principes evangelici in territoriis suis, qua de re vid. pluribus B. Strykius *in us. mod. ad h. t. §. 2. & seqq.* neque tamen hæc potestas potest referri ad usum forensem hujus tituli, cum ea non derivetur ex legibus Justinianeis, sed vel ex principiis communibus politicis, vel legibus fundamentalibus imperii germanici. Ne ipsæ quidem leges Justinianeæ priorum titulorum in *lib. 1. Codicis* præstant indubium usum forensem, cum multæ inter ipsas insigniter papizent, sed singulæ examinandæ sunt, an conveniant cum principiis doctrinæ evangelicæ & rectæ rationis, etsi non sit negandum, multas earum incaute retineri in consistoriis evangelicis, dum multæ reliquiæ papatus ibi hodienum vigeant. Huc pertinent ex *Tom. I. Observat. Halens. Select. observ. 22. 23. 24.* ex *Tomo II. observ 8.* ex *Tom. III. observ. 18.* Dn. Jo. Sam. Strykii *dissertatio de reliquiis sacramenti in controversiis matrimonialibus &c.* *An in specie quoad jus principum circa sacra?*

TIT. II.
De
Origine juris.

SUMMARIA.

Responsa prudentum quando acceperint vim legis scriptæ? Mutatio juris in statu monarchico. Receptio juris Romani apud Germanos, an ab allegante probanda? an alleganti opponi possit non usus? An usus doctrinæ de origine juris romani? an doctrinæ de magistratibus, de jure civili & prætorio, de facultate respondendi de jure? An responsum non-doctoris ad acta admittendum? Responsa an obligent judicem? Eorum effectus tam respectu judicis quam partium dubius.

Responsa prudentum quando acceperint vim legis scriptæ?

RESponsa prudentum in statu democratico vim legis habebant ex tacito populi consensu *l. 2. §. 5. hic*, vid. *Nav. Jurispr. Antejust. l. 1. c. 3.* Vim legis scriptæ & ut ab iis judici recedere non liceret, acceperunt ab Augusto, *ibid. lib. 2. c. 2.* adde §. *responsa prudentum Inst. de J. N. G. & C.*

Mutatio juris in statu monarchico.

Non solum autem ratione responsorum ista mutatio tempore Augusti contigit, sed alia plane totius jurisprudentiæ & legum sub statu monarchico facta fuit facies; Leges in speciem libertatis latæ, constitutiones principum per modum SCtorum propositæ, Ædilium & prætorum potestas coercita, prætorum edictum in perpetuam formam redactum, formulæ sublatæ, & collegium Pontificum extinctum fuit. Vide latius *Nævos Jurispr. Antej. l. 2. c. 2. & 3.*

Quoad

Quoad receptionem juris Romani apud Germanos observandum (1) jus civile, qua Justiniani est, Germanos non stringere, B. Stryk. *disc. prælim. ad us. modern.* §. *16.* (2) Receptionem juris Romani non esse exclusivam juris Germanici. Id. *ibid.* § *27.* (3) Et obtinere adeo jus Romanum in foris Germaniæ tanquam jus subsidiarium; nam deficientibus demum consvetudinibus Germaniæ, aut legibus imperii statur juri Justinianeo, id. *ibid.* §. *28.* *Receptio juris romani apud Germanos.*

Ex quo sequitur sua sponte, quod falsa sit pragmaticorum regula vulgaris: Jus Justinianeum valet, quatenus non est abrogatum. Pugnat enim cum assertione prima & secunda; Sed ita potius inferendum: Jus Justinianeum valet, quatenus est receptum. Receptio autem facti est, ergo ab allegante probanda. *An ab allegante probanda.*

Ex dictis etiam dependet quæstio: an alleganti jus Romanum possit opponi non usus; de qua agitur *ibid.* §. *34.* Scio quidem, communiter a Dd. asseri, quod leges non tollantur non usu, sed usu contrario. Quæ assertio quomodo conveniat cum *l. 32.* §. *1. in fine h. t.* ipsi viderint, qui ea utuntur. Id certum est, eam, etiamsi vera esset, posse adhiberi in quæstione præsente pro decisione negativa, si ageretur de legis Justinianeæ abrogatione. At cum sermo esse debeat de receptione ejusdem, mihi potius placet affirmativa. Non usus enim, posito etiam, quod non probet legis abrogationem, probabit tamen, legem illam non esse receptam. Quis enim diceret: legem peregrinam recipi per non usum? *An alleganti opponi possit non usus?*

Cæterum hujus tituli, cum totus tradat historiam juris Romani, nullus erit usus forensis. Etenim origo *An usus doctrinæ de origine jur. rom.*

origo juris Germanici plane alia est. B. Strykius *hic* §. 1.

An doctrina de magistratibus? Magistratuum HODIE in Germania longe alia, quam quæ fuit apud Romanos, ratio est, uti ex jure publico satis constat, Idem §. 2. Qua de re fusius dixi in dissertat. *de jurisdict. & magistrat. differentia secundum mores Germanorum.*

De jure civili & prætorio? Differentiam inter jus civile & prætorium quod attinet, initio eadem edictis prætoriis autoritas quæsita est, quæ aliis Imperatorum legibus competit, cum Justinianus omnia sua fecerit. Deinde raro HODIE in judiciis fit prætorii juris mentio, ac hodie inter judicem & prætorem vix ulla superest differentia, Idem §. 3. Etsi vero ipse Justinianus obligationes civiles & prætorias sibi opponat §. 1. *inst. de obligat.* ac pariter prætorias & civiles actiones ab invicem separet §. 3. & 12. *inst. de actionibus*; Etsi annale tempus regulariter actionibus prætoriis, præsertim pœnalibus, sit præfinitum, tamen nec hæc multum facere ad docendum usum practicum distinctionis inter jus civile & prætorium, jam ostendimus *ad* §. 1. *inst. de oblig.* Apparet exinde, quam minus cauti sint, qui ducum & principum imperii edicta cum edictis prætoriis post Bartolum & alios Glossatores comparant. Idem §. 4.

De facultate respondendi de jure? Facultas hodiernorum Doctorum juris de jure respondendi plane aliam originem habet, quam ut possit derivari a potestate ab Augusto JCtis Romanis concessa, adeoque parum commode refertur ad usum practicum doctrinæ de responsis JCtorum Romanorum, etsi Carpzovius citatus *ibid.* §. 5. asserat, nostros juris

juris doctores successisse in locum veterum illorum Prudentum.

Interim hæc jurium diversorum confusio varios dissensus peperit inter Dd. de valore & usu responsorum hodiernorum, v. g. an advocati Non-Doctoris responsum a judice ad acta admittendum? *ibid.* §. 5. Giseberti affirmantis opinio suis rationibus nequaquam destituitur, etsi haud dubie Doctores academici ob interesse suarum promotionum praxin contrariam frequentiorem apud nos effecerint. Id certum, quæstionem an responsa Doctorum hodiernorum obligent judicem, minime ex jure Justinianeo esse definiendam, sed ex recessibus imperii & principiis plane a jure romano diversis processus Germanici. Idem §. 6. 7. Conf. Dissert. nostr. *de judice in causis criminalibus sententiam ab actis removente.* *An responsum non-Doctoris ad acta admittendum? Responsa an obligent judicem?*

Assertio, quod responsa Doctorum hodiernorum judicem reddant securum, ne possit a partibus, quod male judicaverit, conveniri, uti multis limitationibus regulam prope tollentibus pene destruitur, *ibid.* §. 9. ita judex etiam citra responsa ex aliis principiis a metu actionis quod male judicaverit, tutus est, de quibus dixi *ad princ. inst. de oblig. quæ quasi ex del. nasc.* Idem dicendum de altero effectu responsorum, scilicet quod partes liberentur ab expensis. Nam & hic prætextus limitationis *ibid.* §. 10. pene tollit regulam. Ac securior est in praxi regula: Favor in judice plus valet quam lex in Codice. *Eorum effectus tam respectu judicis quam partium dubius.*

TIT.

TIT. III.

De
Legibus SCtis & longa consuetudine.

SUMMARIA.

Divisio juris in scriptum & non scriptum. Erronea doctrina de rationabilitate legis & consuetudinis, de natura & probatione consvetudinis. An lex dari possit de præteritis? An usus doctrinæ Romanæ (1) de legibus? An quæstio de potestate legislatoria in imperio & similes hic tractandæ? (2) De SCtis; An cum iis recte comparentur conclusa Statuum? (3) De consvetudine. De non usu & usu contrario positiones quatuor. Exemplum de termino obligationis ex lege occasione Nov. 66. c. 1.

Divisio juris in scriptum & non scriptum.

COmmunis est divisio juris in scriptum & non scriptum, ac nota etiam subtilitas, scriptum esse jus, etiamsi scriptura non accesserit; Vide dicta *ad §. 3. instit. de J. N. G. & C.* ubi simul indicavimus, consvetudinem male pro synonymo juris non scripti haberi.

Erronea doctrina de rationabilitate legis & consvetudinis.

Requisitum legis & consvetudinis est, ut sit rationabilis. Verum magnus etiam hujus doctrinæ est abusus, dum communiter docetur, consvetudinem & legem irrationabilem non obligare, hinc de hoc abusu & de rationabilitate requisito legis latius monui, atque docui, varias consvetudines ad irrationales referri, quæ tamen accuratius inspiciendo tales non sunt, in diss. *de Statuum Imp. potest. legislat. contra jus commune §. 31. usque ad §. 43.*

Imo

Imo totam doctrinam communem de consvetudinis natura & probatione repletam esse multis erroribus, latius docui in differt. *de jure consvetudinis & observantia.* Adde, quæ contra communem sententiam de probatione consvetudinis necessaria per actus in contradictorio obtentos adducit Mynsing. *Centur. 6. obs. 41. n. 7.* item quod judicis testimonium per actus plures judiciales corroboratum probet consvetudinem, etsi alias communiter dicant, judicis testimonio de consvetudine non credi, vid. Struv. *Exerc. 2. th. 21.* Et ita pronunciavit facultas nostra mense Octobr. 1710. versus Qv. in causa **Vorstehers der Kirchen** S. S. contra K. **Wittwe** A. S. *De natura & probatione consvetudinis.*

An lex dari possit de præteritis? negatur communiter, cum non possit aliquid contra legem fieri antequam lex lata sit; Limitant tamen, nisi princeps aliud voluerit. Sed quomodo principis voluntas poterit mutare naturas rerum? Scilicet, si actus præcedentes legem prohibitivam jam repugnent regulis juris naturæ & honestatis, tunc enim lex positiva subsequens etiam habetur saltem quasi pro declaratione. *An lex dari possit de præteritis?*

Quoad usum vero hujus tituli notandum, eum non pertinere proprie ad jurisprudentiam privatam, cum partim historica partim politica contineat. Quod leges attinet, utut earum hodie non minor sit autoritas, quam olim fuit, legum tamen ferendarum ratio hodierna longe aliter se habet, quam illis temporibus, B. Strykius *h. t. n. 1.* Imo ipsa autoritas hodierna non derivanda est ex autoritate antiqua legum Romanarum, aut quasi nostrum imperium sit continuatio imperii Justinianei. Neque hodie auderet Imperator inserere *An usus doctrinæ Romanæ (1) de legibus? An quæstio de potestate legislatoria in imperio & similes hic tractanda?*

ſerere conſtitutioni imperii, Juſtinianum fuiſſe ſuum anteceſſorem in imperio. Tractatio de poteſtate legislatoria in imperio Romano-Germanico eſt plane aliena a jure privato, cum pertineat ad jus publicum, & nullus adeo in ea poſſit eſſe uſus forenſis hujus tituli. Vide interim de ea B. Strykium *a* §. *1. ad* §. *8.* & diſſert. noſtram *de Statuum imperii poteſtate legislatoria contra jus commune.* Quæſtio: an princeps ſit legibus ſolutus, & quatenus Imperator legibus imperii teneatur, de qua agitur *ibid.* §. *9.* pertinet partim ad jus naturæ, partim ad politicam, partim ad jus publicum.

(2) De SCtis; an cum iis recte comparentur concluſa Statuum? Ratione SCtorum etſi Limnæus dicat: leges modernas imperii magis SCta, quam leges eſſe; hoc tamen abuſive dictum, Idem *ibid.* §. *14.* Quare etiam SCtorum applicatio ad concluſa Statuum in imperio plane foret impertinens. Nec credo, ullum autorem ſerio talem comparationem inſtituiſſe. Ergo nemo etiam eſt, qui refutari debeat. Alia quæſtio eſt: an conſenſus Statuum abſque conſenſu Imperatoris faciat concluſum imperii? Quæ ut communiter, nec male, adverſus Hippolytum a Lapide negatur, ita, etiamſi eſſet affirmanda, foret tamen locutio abſona, ſi quis tum diceret, ſtatuum conſenſum habere vim SCtorum.

(3) De conſvetudine. Etiam doctrina de conſvetudine ad jus naturæ & principia politica pertinet. Unde quæ docentur *ibid.* §. *10. uſque ad 13.* partim docent convenientiam juris hodierni cum principiis politicis a Romanis in legibus repetitis, partim repetunt doctrinas communes, contra quas in diſſertationibus paulo ante citatis fuſius fuit diſputatum.

De non uſu Ita circa diſtinctionem de non uſu & uſu contrario

ibidem

ibidem §. *10.* de qua jam quædam prænotavimus *ad tit. præced.* ſequentes quatuor poſitiones obſerva. (1) Intuitu juris præceptivi & prohibitivi non poſſunt ſecerni non uſus & uſus contrarius, quia coincidunt. (2) At intuitu juris permiſſivi falſa eſt aſſertio communis Dd. quaſi ſcilicet leges non abrogentur ſolo non uſu, ſed uſu contrario, repugnans videlicet & principiis politicis & *l. 32.* §. *1. in fine ff. h. t.* junct. *l. 3. 4. 5. 6. eod.* Adde diſput. noſtram *de jure conſvetudinis & obſervantiæ* §. *101.* & *de contentione morum cum jure ſcripto* §. *52. & 67.* ubi fuſius hac de doctrina actum. (3) Diſtinctionem illam Doctores invenerunt, ut haberent ſaltem aliquid, quod regerere poſſent doctoribus, negantibus uſum actionum pœnalium Romanarum, dicentibusque, quod eæ non uſu ſint abrogatæ. Conf. *diſc. proœm. uſ. mod.* §. *34.* (4) Ut ergo omnis occaſio præſcindatur illa diſtinctione abutendi, nos quidem non dicimus, talia eſſe abrogata, ſed nunquam uſu recepta. Sic e. g. hodienum aliqui putant bimeſtre ſpatium requiri, antequam lex vi obligandi polleat, Schöpfer *ad h. t. n. 7.* propter *Novell. 66. c. 1.* cujus aſſerti nulla alia ratio dari ſolet, quam quod novella illa non ſit abrogata. Ego contra: quamdiu non probatur, novellam hanc eſſe receptam, arbitror ex principiis politicis legem publicatam valere ſtatim a tempore publicationis, niſi aliud expreſſum, quorſum ſpectat *Reformat. Polit. de ann. 1577. Tit. 18. in fine*, Vid. *uſ. mod. h.* §. *ult.* Quod ſubditos remotiores attinet, cum hodie & apud eos publicatio per legem typis impreſſam, aut ex cathedra viva voce fieri ſoleat, idem dicendum. Certe ratio novellæ 66. ad noſtra tempora vix poterit applicari, ut inde ſaltem argumentum topicum ſumi poſſit.

& uſu contrario poſitiones quatuor.

Exemplum de termino obligationis ex lege occaſione Nov. 66. c. 1.

TIT. IV.
De
Constitutionibus Principum.

SUMMARIA.

An decretum principis faciat jus universale? An detur privilegium odiosum? Jus singulare an transeat ad heredes? Explicatio beneficiorum principis. Genuina doctrina de revocatione privilegiorum. An usus hujus tituli? An status privilegio Imperatoris possint derogare? An ad legis valorem opus subscriptione principis?

An decretum principis faciat jus universale?

CIrca quæstionem: an decretum principis faciat jus universale? variant leges. In *l. 1. §. 2. b.* ait Ulpianus: *Plane ex constitutionibus principis* (ad quas §. 1. refert etiam decreta) *quædam sunt personales, nec ad exemplum trahuntur.* Contra Justinianus in *l. fin. pr. C. de LL: Si imperialis majestas causam cognitionaliter examinaverit, & partibus cominus constitutis sententiam dixerit, omnes omnino judices, qui sub nostro imperio sunt, sciant, hanc esse legem non solum illi causæ, pro qua producta est, sed & omnibus similibus.* Communiter distingvunt doctores inter sententiam interlocutoriam & definitivam. Schöpfer *hic n. 6.* Sed inepte. Dic potius: Regulariter nullam sententiam jus facere, nisi expresse regulam juris contineat. Quod ut hodie in formulis nostris non solet fieri, ita & *l. f. C.* hodie non habebit usum. Faciunt huc maxime loca Vulteji & Cothmanni de Mynsingeri & Gailii observationibus & præjudiciis Cameræ, apud Mauritium *in præfat. ad consilia Chiloniensia.*

Privi-

Privilegium communiter distingvunt in odiosum & favorabile. Potius sic dicendum. Constitutio personalis est vel odiosa vel favorabilis, seu privilegium. Nam privilegii odiosi vox neque in jure Justinianeo occurrit, neque hodie est in usu; Etsi Cicero subinde *pro domo sua* in malam potius quam bonam partem vocem privilegii videatur accipere; evolvenda tamen sunt ejus loca ab Enenkelio eum in finem adducta. Conf. *Observ. Hallens. select. Tom. III. obs. 15. §. 12.* & Fabrum hac voce. *An detur privilegium odiosum?*

Inter differentias privilegii & juris singularis refertur & hæc, quod jus singulare regulariter transeat ad heredes, privilegium non transeat. Potius tamen dicendum videtur, quod de juribus singularibus nulla certa dari possit regula, an ad heredes transeant, nec ne, sed potius hic singulorum natura seorsim sit consideranda. Conf. Lauterbach *ad h. t.* *Jus singulare an transeat ad heredes?*

De differentia inter privilegia & beneficia principis, vide in *Observat. select. dict. obs. 15. §. 15.* Quod vero falsa sit communis interpretatio *l. 3. ff. h. t.* beneficia principis latissime esse explicanda, docui peculiari dissertatione *de interpretatione beneficiorum principis.* *Explicatio beneficiorum principis.*

Quoad revocationem privilegiorum communis est opinio, gratuita semper revocari posse, onerosa vero non nisi in casu summæ utilitatis publicæ, & cum restitutione soluti pretii. Sed latius docuit JCtus Academiæ vicinæ eximius in *obs. 15. 16. & 17. Tom. VI. observ. Hallens.* communem hanc doctrinam vapulare, & omnia adeo privilegia sive gratuita, sive onerosa, si utilitas reipublicæ, cujus tamen arbitrium est penes principem, id svadeat, revocari posse. *Genuina doctrina de revocatione privilegiorum.*

An usus hujus tituli?

Totus autem hic titulus partim repetit principia politica, & ea, quæ juris Gentium sunt, partim quædam notabilia tradit ad notitiam status & juris publici Romani pertinentia, a quo cum differant plane principia juris publici Germanici, non mirandum est etiam, quod differant multæ conclusiones, quas hac occasione exponere solent doctores. Vid. B. Strykii *us. mod. ad h. t.* v. g. quod lex Regia Romanorum & Germanorum toto cœlo differant *ibid.* §. *13.* Ubi vero aliqua convenientia est inter usum juris publici Germanici & Romani, nihil tamen aliud inde confici potest, quam argumentum a simili. Hoc vero non pertinere ad usum practicum, jam alibi fuit ostensum.

An status privilegio Imperatoris possint derogare?

Quæstionem, quam hac occasione doctores tractant: An status imperii in suis territoriis possint aliquid constituere contra privilegium ab Imperatore concessum; regulariter affirmandam putem, ex principiis positis *in disp. de Statuum imp. potest. legisl. contra jus commune.* Unde etsi v. g. bibliopola privilegium ab Imperatore impetraverit, Status moderare potest, si subditi in suo territorio inde damnum patiantur. B. Stryk. *hic* §. *11.* Et alibi notavi, privilegium nobilitandi saltem per indirectum posse impediri, si Nobiles jubeantur exponere coram consilio principis causas impetratæ nobilitatis. Adde dissert. *de injusta oppositione reservator. imper. & regal. superiorit.*

An ad valorem legis opus subscriptione principis?

Porro dum jure Justinianeo ad valorem legis requiritur subscriptio principis *l. 6. C. de divers. rescript.* & ministri *Authent. Gloriosissimi C. eod.* & postea asseritur, quod usu moderno dispositio dictæ Authenticæ non sit mutata sed aucta, *ibid.* §. *ult.* id hunc sensum habet,

quod

quod jus Justinianeum hic plane non sit receptum, sed ad mores sit respiciendum circa illam quæstionem sæpe variantes, ut ex exemplis ibid. adductis ad oculum patet.

TIT. V.

De
Statu hominum.

SUMMARIA.

Cautela circa usum differentiarum inter masculos & fœminas. An recepta doctrina Romana de legitimitate partus? An monstra ex capite dijudicanda? Occisor monstri an & quomodo puniendus? An doctrina de servis Romanis applicari possit ad Turcas captivos? An ad homines proprios? An usus totius tituli?

QUoad usum forensem differentiarum inter masculos & fœminas maxime cavendum, ne illæ absque cautela cum communi doctorum schola deducantur ex jure Romano. Unde (1) in multis fallit regula vulgaris: Quoties de dignitate & officiis publicis suscipiendis vel familiæ conservatione agitur, toties masculi sunt melioris conditionis *l. 9. ff. h. t. l. 2. de R. J.* Etsi enim in Germania fœminæ regulariter non admittantur ad officia publica ob mores communes gentium, tamen quæ v. g. de patria potestate & adoptione huc referri solent, non ante pro veris haberi poterunt, quam probatum fuerit, quod doctrina juris Romani de patria potestate & adoptionibus moribus recepta sit, de quo videbimus suo loco. Ita quæ de familiæ conservatione in regula illa adduntur, jam magnam

Cautela circa usum differentiarum inter masculos & fœminas.

gnam

gnam partem ab ipſo Juſtiniano ſublata ſunt, differentias maſculorum & fœminarum, item agnatorum & cognatorum in materia ſucceſſionis tollente. Ita & (2) regula, quod fœminæ melioris ſint conditionis, quoties infirmitas ſexus conſideretur, apud Germanos certe in multis haud procedit. Ita de SCto Vellejano videbimus ſuo loco. Ita, quod jure Romano in quibusdam delictis mitius puniantur *Autb. ſed hodie C. de adult.* apud Germanos non eſt in uſu, uti nec illud, quod ſecundum jus Romanum fœminæ non ſint includendæ carceri, *Autb. bodie C. de cuſt. reor.*

An recepta doctrina Romana de legitimitate partus?

Quæ de legitimitate partus poſt mortem patris nati jura Romana diſponunt, apud nos non ſunt recepta, ſed noſtrarum Facultatum Medicarum judicia ſolent requiri. Et meretur hac parte legi Ammanni Profeſſoris Lipſienſis *Medicina critica*, qui tamen paſſim obſervationes falſas interſpergit. Neque magnum uſum apud nos habet quæſtio de legitimitate partus ante vel paulo poſt benedictionem ſacerdotalem editi, cum apud nos etiam ſpurii legitimentur per ſubſequens matrimonium.

An monſtra ex capite dijudicanda? Occiſor monſtri an & quomodo puniendus?

Quoad monſtra communis eſt ſententia, quod dijudicentur ex capite, idque probare ſolent doctores *arg. l. 17. C. de pœn.* vid. Schöpfer. *ad b. t. n. 7.* quod argumentum tamen recte a recentioribus omittitur. Uti enim aſſertio *d. l. 17.* de facie hominis ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis figurata applauſum JCtorum cordatiorum non invenit, ita argumentum inde ad definitionem monſtri detortum adhuc minus ſe iisdem probabit. Evidentius loquitur *l. 14. b. t. Non ſunt liberi, qui contra formam bumani generis converſo more procreantur.*

tur. Qui tale monſtrum occidit, a quibusdam ut homicida puniendus eſſe dicitur, B. Stryk. in *Uſ. mod. hic* §. *18.* Sed mallem tamen ſentire cum Deciano, Menochio, Grotio ibidem citatis, non quidem ex illa ratione, quod lege Romuli aut XII. Tabb. licuerit talia monſtra interficere, ſed quod talia monſtra non ſint homines. Unde facile patet, quid reſpondendum ſit ad rationem, quæ in contrarium affertur: *Juſto Dei judicio hæc monſtra in orbem prodeunt, non raro monſtrantia, qualia in orbe graſſentur peccata. Atqui vero quo jure, quæ humano ſangvine creta, & quibus vitam indulſit Deus, e vivis tollentur, cum & hic ſangvinis humani profuſio contingat.* Nam ſi hæc ratio concluderet, nec liceret interficere pediculos. Unde ne quidem pœnam extraordinariam, quam aliqui ejusmodi occiſoribus imponendam eſſe ſtatuunt, locum habere puto.

An doctrina Romana de ſervis applicari poſſit ad Turcas captivos? an ad homines proprios?

Servos quod attinet, & modum conſtituendi eos per captivitatem, nullum eſt dubium, intuitu Turcarum aut aliorum infidelium in bello captorum iſtum modum adhuc valere, propterea tamen iſti Turcæ non fiunt ſervi Romani, nec jura Romana de ſervis diſponentia ad eos applicari poterunt, ut oſtenſum in diſp. *de uſu pract. diſtinctionis hominum in liberos & ſervos cap. 2.* § *31. 32. 33.* & latius diſput. *var. hiſtor. jurid. diſp. 6.* Homines proprii autem Germanorum etſi toto cœlo ſint diverſi a ſervis Romanis, adeoque nec juris Romani capita ad eos applicari poſſint, revera tamen ſunt ſervi, ut oſtenſum *ad Inſtitutiones.*

An uſus totius tituli?

Interim & hic titulus repetit ac continet principia quædam juris gentium ac politica, ex quibus diviſiones ſtatuum hic traditæ fere apud omnes gentes ſunt rece-

ptæ. At vero quod jura horum ſtatuum ex jure ſolum Romano profluentia attinet, uti illa pauca ſunt, ita de illis ex parte jam monitum, quod exiguum habeant uſum apud Germanos, partim latius de erroribus doctorum communibus, quod ſervitus inter Chriſtianos ſit ſublata, quod homines proprii Germanorum ſint liberi, quod Chriſtiani a Turcis capti non ſint apud nos habendi pro ſervis, jam fuit actum *in notis ad Inſtit. de jure perſon.* & in diſput. *citata.* Adde B. Stryk. *Uſ. mod. h. t.* cujus verba in §. finali maxime ſunt notabilia: *Ego vero*, inquit, *indignum libertate Germanorum credo, ex jure Romanorum civium, Germanorum immunitatem quæſiviſſe. Sane reges Germaniæ imperio ſuo adjecerant Italiam Romamque, ut inde a devicta gente victoribus immunitatem adſcribere abſonum fuerit.* Digna profecto, quæ diligenter conſiderentur a ſtudioſa juventute, plurimum videlicet valitura etiam in quæſtione de uſu totius juris Romani in foris Germaniæ.

TIT. VI.

De

His qui ſui vel alieni juris ſunt.

SUMMARIA.

An doctrina de poteſtate dominica hodie inutilis? An rigor patriæ poteſtatis Romanorum in uſu? An partus legitimus, ſi mater adulterii convicta? Legitimatio per ſubſequens matrimonium an requirat boneſtatem in parentibus item pacta dotalia? Adulterini & inceſtuoſi an recte dicantur legitimari? Valor legitimationis tum ab Imperatore, tum a Comite palatino factæ:

An

An legitimati retineant infamiam facti? Examen rationum pro usu juris Romani de patria potestate. Differentiæ juris Rom. & Germ. quoad effectus PP. & modos legitimandi.

ETsi prior pars tituli agat de potestate dominica in servos, ab interpretibus tamen ejus tractatio communiter omittitur, cum frustraneum sit de jure dominorum in servos inquisivisse, ubi constat servos hodie nullos superesse B. Stryk. *U. M. h. t.* §. *1.* Verum cum ex nostra doctrina homines proprii omnino sint servi, & rustici nostri parum ab iis differant, inquisitio illa pro frustranea non erit habenda. Vide, quæ de hoc jure summatim diximus *ad Instit. h. t. p. 30.* & fusius in differt. *citata ad illum tit.* *An doctrina de potestate dominica hodie inutilis?*

Quinam fuerint effectus patriæ potestatis antiquæ apud Romanos, & quomodo mutato reipublicæ statu decrementa iste rigor sumserit, dictum *ad* §. *2. inst. de patr. pot.* Nihilominus patrem adhuc HODIE filium magistratui posse coërcendum offerre, judicemque ex patris arbitrio pœnam infligere debere *per l. 3. C. de patr. potest.* communiter statuunt, cum hæc lex hodie non sit abrogata, Schöpfer. *h. n. 13.* Verum etsi facile quidem in eo consentiam, quod non sit abrogata a Germanis, id tamen ad usum ejus probandum nihil facit, nam jam exoleta erat tempore Valentiniani *l. un. C. de emend. propinq.* Aliud est: an sit usu recepta. Quod nego. Est tamen in arbitrio judicis, an sequi velit pœnam, quam pater petit. Et huc pertinent præjudicia apud Carpzov. *quæst. crim. 100. n. 34. & 40.* At secundum *dictam legem 3.* cogebatur judex sequi præscriptum patris. *An rigor patriæ potestatis Romanorum in usu?*

An partus legitimus, si mater adulterii convicta?

Uti autem patria poteſtas tribus modis acquiritur, vel juſtis nuptiis, vel per legitimationem, vel per adoptionem, ita quoad primum modum notandus error communis, filium ſcilicet haberi pro legitimo, etſi mater eum dicat eſſe adulterinum, vel ipſa mater adulterii convicta ſit. Nam *l. 29. in f. ff. de probat.* ad quam provocant, ſaltem dicit *veritati locum ſuperfore, ſi mater profiteatur filium ſpurium;* & *l. 11. §. 9. ad L. Jul. de adult.* itidem ſaltem dicit, *quod mater poſſit eſſe adultera, & tamen filius a patre conceptus eſſe poſſit;* non quod præſumptio inde & regula ſit formanda. Quæ adeo valde torquet illum textum, adeoque ſudant doctores, ut hujus potiſſimum poſterioris præſumtionis rationem dent. Illa enim ratio, quod natura muliebris appetat potius ſemen legitimum quam adulterinum, ſi de appetitu ſenſitivo loquatur, aperte falſa eſt, ſi de rationali, ridicula. Veroſimile eſt, regulas illas eſſe concluſiones doctrinæ nimis crude propoſitæ: filium eſſe quem juſtæ nuptiæ demonſtrent *l. 6. pr. de his, qui ſui vel al. jur. ſunt.* hanc doctrinam autem ita crude propoſitam eſſe fructum doctrinæ clericalis de ſacramento matrimonii & honore ſancti matrimonii.

Legitimatio per ſubſeqvens matrimonium an requirat honeſtatem in parentibus, it. pacta dotalia?

Ad legitimationem per ſubſequens matrimonium requirebatur jure Romano, ut partus legitimandus ex concubina libera ſuſceptus eſſet; HODIE ei locum eſſe dicunt, ſi filius ex duabus perſonis ſolutis alias honeſte viventibus ſit ſuſceptus. Dn. Ludovici *in doctr. Pand. h. §. 6.* Verum cum ex hypotheſi juris Canonici nullæ perſonæ citra benedictionem ſacerdotalem concumbentes pro honeſtis habeantur, ſed fœminæ contra uſum juris Romani & Hebraici habeantur pro meretricibus

tricibus, vix usus aliquis legitimationis per subsequens matrimonium sperandus esset, si honesta vita in parentibus legitimandi necessario requireretur; hinc alii dicunt, sufficere si pater fateatur se consvetudinem habuisse cum illa fœmina, etiamsi illa plures admiserit, B. Stryk. *hic* §. *10.* An ad ejusmodi legitimationem etiam requirantur pacta dotalia, de jure hodierno nemo asseret, quamvis de jure Romano ea necessaria fuisse ad probandum consensum conjugalem, communis sit opinio; cum alias non constare potuerit de mutato concubinatu in matrimonium; B. Stryk. *ibid.* Dn. Beyer *ad ff. h.t.* Sed rationes contrariæ sententiæ jam dedi in notis *ad* §.*ult. inst. de nupt.*

Adulterini & incestuosi an recte dicantur legitimari?

Adulterinos & incestuosos non legitimari, sed saltem dispensari super macula vel illegitimitate nativitatis, est lis de vocabulo inanis. Sed in verbis simus faciles, adsunt enim iidem effectus legitimationis. B. Stryk. *ibid.* §.*15.*

Valor legitimationis tum ab Imperatore tum a Comite Palatino factæ.

Quoad legitimationem per rescriptum principis nullum quidem est dubium, legitimationem ab Imperatore ipso factam valere per totum imperium, juncta tamen limitatione ex notatis supra *ad tit. de constit. princip.* quatenus scilicet ea non fit in præjudicium Statuum. Parem autoritatem ac ipsi imperatoriæ tribuunt legitimationi a Comite Palatino factæ, vel certe majorem quam si a principe imperii facta sit, Schöpfer. *h. t. n. 11.* quia nimirum legitimatio a principe facta non valeat extra territorium. Sed ô vanitas vanitatum! Nam cum hodie principes valde soleant custodire regalia superioritatis suæ, & Comites Palatini fungorum instar hodie multiplicentur, eaque multiplicatio occasio-

nem det abusui privilegiorum ipsis indultorum & contemtui aliisque querelis justis, nolim indistincte consulere ei, qui legitimari cupit, ut legitimationem Comitis Palatini præferat legitimationi Principis Imperii.

An legitimati retineant infamiam facti?

Legitimatos manere infames de facto inter viros bonos & graves, nec ad honores quoscunque admitti, in specie ab assessoratu Cameræ excludi, docuit Mynsinger *Cent. 4. obs. 31.* Contrarium defendit Mundius a Rodach *in tract. de Comit. Palat.* At quanquam secundum principia juris Romani verum sit, legitimatos non esse infames, praxis tamen Germaniæ plane alium de infamia sequitur conceptum, ut dicemus infra suo loco, adeoque non tangunt Mynsingerum opposita ex principiis juris Romani. Nec deprehendo etiam, Mundium docuisse, quod spurius legitimatus ad assessoratum Cameræ aliquando fuerit admissus. Et si etiam probasset, tamen ea quæ nostra ætate in Camera gesta sunt, & quæ occasionem justitio tanto tempore duranti dederunt, persvadent facile, Mynsingeri doctrinam hodierno usui forensi esse convenientiorem.

Examen rationum pro usu juris Romani de patria potestate.

Quod USUM forensem hujus tituli attinet, cum de eo non pauca dicta sint *ad tit. inst. de patria potestate, it. de nuptiis*, licebit hic saltim paucis supponere, uti semper alias, ita consentientibus facile doctoribus vel maxime in doctrina de nuptiis & legitimatione magis receptum esse jus canonicum, quam civile. Etsi autem pro ea sententia, quod apud germanos obtineat saltem patria potestas juris Gentium, non vero Romana illa, possint afferri autores citati a B. Strykio *hic* §. 3. sufficit tamen, quod non ostendi possit receptio communis in Germania effectuum patriæ potestatis

tis Romanæ. Et cum lex Justinianea non lata sit Germanis, non bene monuit Simon a Leeuwen, quod ab uno alterove effectu patriæ potestatis cessante non mox ejus juris abrogatio sit elicienda, quia abrogatione nulla hic opus. Quod vero additur, *pro non usu juris communis præsumendum non esse*, valet de jure communi ordinario, non subsidiario, quale est jus Romanum. Illud vero: *quod jura semel recepta potius præsumenda sint esse in viridi observantia*, verum quidem est, sed in applicatione ad quæstionem præsentem intuitu assertæ receptionis petit principium. Nec obstat: *quod multorum casuum decisio immutanda foret, si patriæ potestatis hodiernæ effectus civiles a Philippo Pascalio exhibitos adimere, & sola facultate imperandi & necessitate parendi eam circumscribere vellemus.* Nam resp. (1) Ille tractatus Philippi Paschalii uti amplissimus vocatur in titulo, ita etiam est confusissimus, miscens quadrata rotundis, ut vel ex argumento cap. 1. part. 1. constat. (2) Quid ad Germanos Paschalius JCtus peregrinus? (3) Nostra sententia est, effectus patriæ potestatis civiles cessare, nisi quatenus probentur esse recepti, unde non omnes corruunt, v. g. de substitutione pupillari &c. Porro *etsi legi mereatur Petri Ærodii dissertatio de jure patrio adversus Jesuitas*, uti tamen Ærodius omnium minime de effectibus civilibus patriæ potestatis Romanæ egit, ita quis vel ebrius hunc tractatum producere auderet pro asserendo usu forensi doctrinæ Romanæ de effectibus patriæ potestatis in Germania? Nec plus adjuvabit autoritas JCtorum Saxonicorum, de quibus jam diximus *ad Institutiones*, aut Andleri, viri, si ex scriptis de ejus ingenio judicabit posteritas, ju-

dicii

dicii exigui, & antiquis (glossatoribus) paris. Neque vitio vertendum JCtis, qui anno 1558. vivebant, persvadentibus Johanni Friderico Electori Saxoniæ, ut a Carolo V. impetraret in specie restitutionem patriæ potestatis, uti nec vitio vertimus iis, qui tempore Maximiliani vocabant Justinianum antecessorem Maximiliani in regno. Sed quid istæ tenebræ ad hodiernam Jurisprudentiæ lucem? Porro jam *ad Institutiones p. 169. & 266.* dictum, & infra suo loco repetetur, uti nec doctrina de peculiis apud Germanos recepta est, ita, quod in Germania pater usumfructum in bonis liberorum habeat, non ex patria potestate Romana, sed ex jure tutelæ Germanico derivandum. Quod liberi patris non matris conditionem sequantur, B. Stryk. §. *8.* magis est effectus patriæ potestatis juris gentium, quam quatenus Romanis propria est. Et indicium denique causæ non optimæ est, quod demonstratio usus hodierni effectuum patriæ potestatis Romanæ apud Germanos *ibid.* §. *6.* reservetur ad alia loca. Hic enim erat Rhodus.

Differentiæ juris Rom. & Germ. quoad effectus patriæ potestatis & modos legitimandi.

Potius igitur annotabimus differentias inter jus Germanicum & Romanum ab ipsis dissentientibus admissas. (1) Apud Germanos non receptum jus vendendi filium sangvinolentum *d.* §. *6.* & jus tradendi filium ad servitium alicujus domini, quo ipse pater inde alatur, ab isto jure Romano toto cœlo diversum est. (2) Quod legitimatio per subsequens matrimonium hodie liberos legitimos faciat, magis juri canonico quam civili attribuendum §. *9.* (3) Hodie etiam legitimantur spurii & ad legitimationem per subsequens matrimonium loco pactorum dotalium requiritur benedictio sacer-

ſacerdotalis §. *10.* (4) Nec hodie ex diſpoſitione juris canonici amplius requiritur, ut tempore concubitus vel partus editi non fuerit impedimentum nuptiarum §. *11.* Unde & partus adulterinus poteſt legitimari per ſubſequens matrimonium §. *12.* & ſuo modo partus inceſtuoſus §. *13.* (5) Cum jure Juſtinianeo ad legitimationem per reſcriptum requiratur, 1) ut legitimandus ſit naturalis ex concubina ſuſceptus, & 2) ita non ſit ex damnato coitu natus, 3) ut pater commode concubinam ducere non poſſit, 4) ut ipſe pater libellum principi offerat, & 5) liberos legitimos non habeat *per Nov. 89. c. 9.* hæc omnia fere hodie ſe aliter habent. *ibid.* §. *15. 16. 17.* Et quamvis alii putent, hodie tamen in ſupplicatione principi indicandum, concubinam adhuc vivere, Schöpfer *hic n. 9.* ob autoritatem Gailii; haud dubie tamen Gailius illam limitationem adjecit ex intempeſtivo amore juris Romani, & jam alii notarunt, non omnia credenda eſſe Gailio. Vide diſſert. noſtr. *de jurisd. Romana different. a morib. Germanor.* 6) Et hoc contra diſpoſitionem juris Romani eſt, quod hodie ſpurii ignorante vel mortuo patre impetrent legitimationem per reſcriptum principis §. *18.* (7) Tertius legitimandi modus per oblationem curiæ hodie omnium teſtimonio penitus exolevit. Curiarum noſtrarum ratio longe diverſa eſt. §. *19.* Unde etiamſi hodie, ſi ſpurius Senator conſtitueretur a principe, verum eſſet, quod tum facile cenſeretur eſſe legitimatus, tamen in eo non poſſet quæri uſus forenſis legitimationis Romanæ per oblationem curiæ. *ibid.* Idem dicendum de quæſtione, an, ſi fœmina extra matrimonium ſuſcepta viro honeſto & in dignitate conſtituto nupta

ſit, per id legitimata eſſe cenſeatur. Nam & hujus deciſio affirmativa non deducenda eſſet ab oblatione curiæ ſed a ſacramento matrimonii. §. *20*. Quod vero additur §. *21*. hodie tam maſculos quam fœminas ſui juris fieri morte patris, etiam impuberes, petit principium, cum ubi mores Germaniæ non ſunt corrupti, maneant in poteſtate matris. Confeſſio tamen acceptanda, (8) quod moribus Germaniæ avus non habeat in poteſtate. *ibid.*

TIT. VII.

De

Adoptionibus & emancipationibus & aliis modis, quibus patria poteſtas ſolvitur.

SUMMARIA.

Arrogatio impuberum ejusque effectus. Adoptio an conferat nobilitatem? An frequens uſus adoptionum & confirmationum per Comites Palatinos? An unionis prolium? An emancipationis?

Arrogatio impuberum ejusque effectus.

DE arrogatione impuberum jure Romano antiquo prohibita & poſtea ſub Antonino permiſſa latius & diſtinctius actum *in notis ad Inſtitut. de adopt.* §. *3*. ubi & oſtenſum, quæſtionem de quarta bonorum, quam arrogator debet reſtituere filio in caſu ſi eum ſine juſta cauſa exheredaverit vel emancipaverit, inanem eſſe, & fruſtra diſputari, an ſub ea intelligatur quarta bonorum omnium, an portio legitima.

Adoptio an conferat nobilitatem?

Quod nobilitas apud Germanos per adoptionem non tribuatur, recte quidem aſſeritur, ſed non recte ſuppo-

ſupponitur obſervantia adoptionum *in Uſ. mod. h. §. 8.* Ea vero non ſuppoſita mirandum, quod Dd. ibi citati de re nullius uſus tot chimæricas quæſtiones forment de adoptato ab avo materno, de inſignibus & nomine gentilitio adoptati. Debebant, quæ ibi recte docentur de nobilitate ſaltem per ſangvinem propaganda, doctores admonuiſſe, jus Romanum & jura Germanica æque apte miſceri ac ferrum & argillam.

An frequens uſus adoptionum & confirmationum per Comites Palatinos?

Cum in adoptionibus Romanorum cognitio inſtitueretur, an adoptans vel arrogans forte minor ſexaginta annis eſſet *l. 15. h. §. 2.* inde patet, quod nec apud Romanos uſus adoptionis fuerit valde frequens. Et quamvis adoptio Romanorum apud Germanos nunquam abrogata ſit, nec tamen unquam ita eſt recepta, ut ejus ſit viridis obſervantia, ſed non niſi rariſſime & non niſi a legulejis vel horum ſvaſu uſitata eſt. Conf. dicta *ad Inſtit. de adopt.* Et porro, etiamſi Comites Palatini gaudeant facultate confirmandi arrogationes & adoptiones, & Mundius *de Comit. Palat.* magnifice de ea loquatur, eam tamen eſſe fucum merum, oſtenſum *ibid. in fine.* Nec adduxit Mundius unicum exemplum arrogationis aut adoptionis coram Comite Palatino factæ. Nam quod exemplum Homeri a Phemio adoptati attinet, ad quod pro demonſtranda tali adoptione provocat idem *c. 3. n. 144.* mihi firmiter perſvadeo, tempore Homeri nondum fuiſſe Comites Palatinos aut Notarios, etſi haud dubie fuerint ſpurii. Paucis; Cum privilegio hoc Comitum Palatinorum comparatum eſt, uti cum cancris in vulgata fabula, **die Krebſe waren wohl im Brieffe / aber nicht im Kober.**

An unionis prolium?

Unionis prolium si verum fateri fas est, æque in praxi rara exempla sunt, quam ipsius adoptionis (i. e. neutra est in viridi observantia). *Nam intra viginti annos ex variarum Germaniæ provinciarum actis facultati oblatis nunquam unionis prolium casum observare licuit, cum tamen bina vice adoptionum casus oblati.* (Mihi autem per viginti annos alios observare licuit nullum casum, nec adoptionis, nec unionis prolium Facultati esse oblatum.) *Forte in superiore Germania ejus* (unionis prolium, non adoptionis) *frequentior usus.* B. Strykius *Us. mod. hic* §. 9.

An emancipationis?

Emancipationem ad mores Germaniæ plane non quadrare, dictum *ad Instit. quibus modis jus patr. pot. solv.* & peculiari dissertatione *de quasi emancip. German.* Et quanquam usus emancipationis Anastasianæ per rescriptum quæratur in emancipatione facta coram Comite Palatino *Us. mod. hic.* §. 17. eadem tamen hic repetenda sunt, quæ de confirmatione adoptionum per Comites Palatinos, item supra de legitimatione eorum monuimus. Emancipatio autem tacita, quam Dd. fingunt, est ignis frigidus.

TIT. VIII.

De
Rerum divisione.

SUMMARIA.

Definitio rerum communium & differentia inter aquam profluentem & flumen erronea. Res publicæ ad quem pertineant? An differat patrimonium reipublicæ & universitatis? Res divini juris & bona ecclesiastica. Definitio rerum corporalium taxatur. Usus distinctionis

ctionis rerum in mobiles & immobiles. An ea etiam quadret ad res incorporales? Quot species juris in re? Quando jus in re acquiratur inter vivos absque traditione? Differentiæ juris hodierni a Romano quoad divisiones rerum.

DEfinitionem rerum communium, quod earum proprietas spectet ad neminem, usus vero ad singulos, erroneam esse, & aerem, aquam profluentem, mare, & per hoc littora maris esse in dominio hominum, suo modo etiam privatorum, latius ostendi in *notis ad Strauchium* repetitis in *novis addit. ad Huberi prælectiones ad Inst. h. t.* Adde *notas nostras ad Instit. ad §. 1. h. t.* Idem dicendum de differentia quam cum Pacio communiter faciunt inter aquam profluentem & flumen, quod illa continuo moveatur, ipsum flumen autem immobile sit, & aqua profluens tamen pars sit fluminis. Incongruum enim est, parti mobilitatem adscribere, & tamen totum dicere immobile, & verosimile est, Pacium voluisse dicere alveum pro flumine; Dd. autem inconsiderate verba ejus secuti sunt.

Definitio rerum communium & differentia inter aquam profluentem & flumen erronea.

Res publicas hodie pertinere ad principem, earumque usum ab illius arbitrio dependere, dictum in *notis ad Inst. §. 2. & 4. de R. D.*

Res publicæ ad quem pertineant?

Uti jure Romano differunt res universitatis & res publicæ, ita & doctores secernere solent res, quæ sunt in patrimonio reipublicæ, a rebus quæ sunt in patrimonio universitatis, v. g. die Handwercks-Lade. Struv. *Exerc. 3. th. 78.*

An differat patrimonium reip. & universitatis?

De rebus divini juris earumque divisione apud Roma-

Res divini

juris & bona ecclesiastica.

Romanos & abusu inter Christianos vide *notas ad Instit.* §. 7. *h. t.* item dissert. *de natura bonorum secularisatorum*, ubi & de bonis ecclesiasticis earumque natura distinctius egimus.

Definitio rerum corporalium taxatur.

Res corporales secundum communem definitionem sunt, quæ tangi possunt; ubi vocabulum tactus accipitur pro omnibus sensibus. In quo quidem non repugno, sed tamen ista acceptione non opus est. Nam v. g. & sol & ferrum candens stricte tangi possunt, si modo sol pertineat ad objectum jurisprudentiæ.

Usus distinctionis rerum in mobiles & immobiles. An etiam quadret ad res corporales?

Distinctio rerum in mobiles & immobiles indubium habet usum non solum in doctrina de institutione heredum in rebus mobilibus & immobilibus, sed & in successione Germanica mariti, in traditione Germanica rerum venditarum, in alienatione bonorum minoris, item dotalium, in concursu statutorum ratione successionis ab intestato, in præstanda cautione judiciali, in præscriptione &c. Etsi autem res incorporales proprie nec mobiles nec immobiles dici possunt, alterutri tamen speciei accenseri solent, ut si v. g. unus heres institutus sit in mobilibus, alter in immobilibus; in successione mariti Saxonici, in cautione judiciali &c.

Quot species juris in re?

De numero specierum juris in re nota est controversia olim inter JCtos celeberrimos orta. Et si quis religioni sibi ducat, deserere tradita veterum, is retinere potest vulgatas illas quinque species. Nullum tamen est dubium, sententiam Bornii nullam præter dominium agnoscentis, esse accuratiorem. Vide *novas addit. ad prælect. Huberi ad Inst. h. t.* §. *12. & 13.* Interim res non est tanti, ut de ea litigetur. Quod vero olim id fieret, in causa erat præjudicium de non deserendis doctri-

doctrinis præceptorum, autoritas Hahnii, insignis alias JCti, juventus tum temporis Bornii, æmulatio Svendendörfferi &c.

Etsi circa acquisitionem juris in re in actibus inter vivos regulariter opus sit traditione vel vera vel quasi, exceptio tamen est non solum in constitutione hypothecæ, ac in servitutibus negativis, verum etiam in constituto possessorio & traditione per fictionem brevis manus.

Quando jus in re acquiratur inter vivos absque traditione?

Ceterum divisiones rerum hoc titulo propositæ, quas omnia juris compendia ordine recensere solent, adhuc hodie usu fori obtinere, negari nequit; non tamen ubique eadem juris applicatio locum invenit. B. Strykius *in us. mod. h. t.* §. *1.* i. e. Quatenus divisiones illæ desumtæ sunt ex natura rei, vel jure gentium, sunt in usu, quatenus peculiare quid ex jure Romano admixtum est, fere non est receptum. Ita ad res divini juris muros & portas civitatum hodie nemo retulerit. *ibid.* Ita hodie templa sunt in dominio statuum Evangelicorum. *ibid.* §. *2.* Ita in Ecclesiis evangelicis (& imo ubi etiam religio pontificia floret,) ritus consecrationum Romani cessant. *ibid.* §. *3.* Ita juris Romani dispositio circa loca religiosa longe aliter se habet hodiernis moribus. *ibid.* §. *5.* Ita ad rigorem priscæ Romanorum disciplinæ pertinet pœna capitalis transcensionis cujuscunque murorum, cui hodie successit pœna arbitraria. *ibid.* §. *6.* Hodie mare ad res communes non pertinere praxis comprobavit. §. *7.* Littora maris hodie sine dubio alia conditione sunt, quam fuerunt jure Justinianeo. §. *8.* Hodie ex eo solo, quod littora principis sint, acquisitio rerum in littore repertarum non cessabit,

Differentiæ juris hodierni a Romano quoad divisiones rerum.

bit, quamdiu non accesserit prohibitio principis. §. 9. Mihi videtur convenientius ita dici: eam acquisitionem hodie cessare, nisi eam admittat permissio principis vel expressa vel tacita. Flumina & portus hodie regalibus accensentur, variisque modis libertas navigandi & piscandi restricta est. *ibid.* §. *10-14.* Riparum dominium fere unice hodie privatis remansisse, docetur §. *15.* quod tamen & ipsum limitat Dn. Hoppe *ad* §. *riparum Inst. h. t.* intuitu quercuum & arborum frugiferarum. Hodie differentia est inter Fahrniß / item Mobilien & res mobiles. *ibid.* §. *16.* Jam computa, quid ex usu juris Romani remaneat.

TIT. IX.
De
Senatoribus.

SUMMARIA.

Observatio de legibus notabilibus. An Senatorum hodiernorum jura ex h. t. deducenda?

Observatio de legibus notabilibus.

HUnc & sequentes titulos omittunt communiter interpretes, cum de officiis Romanis agant, leges tamen notabiles inde excerpunt & inculcant, quarum potiores summatim recenset Schöpffer *ad tit. de rer. div. n. ult.* Mihi sic videtur. Leges illæ notabiles sunt, quæ maxime sunt ad gustum legentis. At de gustu non est disputandum. Eruditus leges notabiles æstimat ex gustu proprio, non alieno. Non-eruditus gustu caret.

An Senatorum hodiernorum jura

Senatorum autem hodiernorum jura ex hoc titulo derivare velle, eo minus proficuum, quo clarius constat, nec apud Romanos semper ejusdem autoritatis

tis fuiſſe Senatores, B. Strykius *hic* §. 1. Etſi vero in aliquot caſibus ſub hoc titulo comprehenſis ſimilitudo ſit inter mores Romanorum & Germanorum, argumentum tamen a ſimili non pertinere ad uſum forenſem jam alibi fuit monſtratum, quæ obſervatio repetenda etiam ad titulos ſequentes. *ex hoc tit. deducenda.*

TIT. X.
De
Conſulibus.

QUæ de Senatoribus ad præcedentem titulum dicta ſunt, multo magis de conſulibus hic erunt repetenda. *Uſ. mod.* §. 1. *An hic titulus quadret ad conſules hodiernos?*

TIT. XI.
De
Officio præfecti prætorio.

DIgnitates Romanorum principibus Imperii hodiernis contra omnem juris publici rationem tribuuntur, & Electorum principumque imperii poteſtas multis paraſangis omnes in hoc & ſequentibus titulis expoſitas dignitatum ſpecies excedit. *Uſ. mod. hic* §. 2. *Comparatio principum cum præf. præt. inepta.*

TIT. XII.
De
Officio præfecti urbi.

DOctores a præfectis urbi ad quosvis principes imperii argumentum ducunt. Verum abſtinendum erat hoc vili argumentationis genere. *Uſ. mod.* §. 1. Comparatio vero præfectorum urbi cum conſulibus hodiernis urbium, aut cum præfectis urbium impe- *Pariter inepta comparatio eorum cum præf. urbi. An hi comparari*

possint cum praef. urbium imperialium.

rialium in §. 2. est argumentum a simili, adeoque claudicans.

TIT. XIII.
De
Officio quaestoris.

An recte comparetur cum officio Cancellarii.

IDem dicendum de comparatione officii quaestoris cum officio hodierno Cancellariorum.

TIT. XIV.
De
Officio Praetorum.

Hoc officium cessat. An quid conveniat cum eorum edictis. Usus l. 3.

DIfferentia juris Romani inter praetorem & judicem hodie cessat. *Us. mod.* §. 1. Male admodum edictis Praetoriis nostrorum principum edicta & constitutiones comparantur. *ibid.* §. 2.

Applicatio *l. Barbarius Philippus 3. ff. h. t.* ad casus similes est argumentum a pari, usum praebens theoreticum *ibid.* §. 3. adeoque minime usum forensem *dictae l. 3.*

TIT. XV.
De
Officio praefecti vigilum.

An dentur praefecti vigilum?

PRaefectos vigilum eadem potestate, qua hic describuntur, dari posse, non dubito, dari tamen revera, nullo exemplo constat. *Us. mod.* §. 1. h.

Usus l. 3. §. 1. h.

Argumentum Dd. ex *l. 3. §. 1. h. t.* quod incendia praesumantur culpa inhabitantium fieri, est contortum, adeoque minime usus practicus dictae legis. *ibid.* 2.

TIT.

TIT. XVI.

De
Officio Proconsulis & Legati.

PRoconsules sensu juris Romani nulli amplius dantur, multo minus eorum legati. *An dentur Proconsules?*

TIT. XVII.

De
Officio præfecti Augustalis.

CUm Ægyptus dudum imperio decesserit, de præfecto ejus Augustali frustra erimus solliciti. *An detur talis præfectus.*

TIT. XVIII.

De officio Præsidis.

PIget hic iterum tangere opinionem doctorum, qui principes nostros præsidum & proconsulum loco esse asserunt, aut Episcopos cum præsidibus comparant. *U. M. h.* §. *1.* Imo & comparatio præsidum Romanorum cum præsidibus hodiernis provinciarum **Landes-Hauptleuten** *ibid.* instituta est simile valde claudicans. *Comparatio præsidum cum principibus it. episcopis & cum præsidibus hodiernis.*

Contorta vero est applicatio textus in *l. 6.* §. *1. h. t.* ad quæstionem, utrum judex debeat judicare secundum conscientiam, an secundum acta & probata *ibid.* §. *2.* Quod vero elegans δωροφαγίας præsidium ex *l. 18. h. t.* sibi quæsiverint nostri judices in §. *3. ibid.* ad abusus juris Romani referendum est, non ad usum forensem. *Usus l. 6.* §. *1. h. & l. 18.*

TIT. XIX.

De
Officio procuratoris Cæsaris vel rationalis.

Potestas advocatorum fisci an ex h. t. petenda? Usus l. 1. pr. h.

QUousque potestas tam advocatorum quam procuratorum fisci se hodie extendat, generali regula (ex jure Romano) definiri nequit, sed ex instructione cujusque principis petendum *ibid.* §. *1.* Rursus autem ad abusus *l. 1. pr. h. t.* referendum, quod Dd. inde regulam formaverint, factum ministri principis censeri factum ipsius principis, *ibid.* §. *2.*

TIT XX.

De

Officio juridici Alexandriæ.

An quadret ad mores nostros hoc officium?

JUridici Alexandriæ ad nostros mores non aliter pertinent, quam qua judices in certis civitatibus constituti vulgo Hoffrichter cum illis (in aliquo tertio) comparari possunt.

TIT. XXI.

De

Officio ejus cui mandata est jurisdictio.

An detur mandata jurisdictio?

HOdie mandatam jurisdictionem dari negat Schilterus, *U. M.* §. *1.* cui consentio. Dicemus *ad tit. de jurisdictione.*

TIT. XXII.

De

Officio assessorum.

Potestas assessorum unde petenda?

POtestas assessorum hodierna ex antiquo Romanorum jure haudquaquam repetenda, sed ex ipsis dicasteriorum ordinationibus.

LIB.

LIB. II.
TIT. I.
De
Jurisdictione.

SUMMARIA.

Jurisdictio quid? An detur jurisdictio criminalis absque mero imperio? An distinctio inter jurisdictionem & mixtum imperium ap. Germanos in usu? An dentur actus voluntariæ jurisdictionis & tamen coram judice ordinario necessario expediendi? An detur apud Germanos jurisdictio voluntaria? An jurisdictio extraordinaria? An jurisdictio mandata respectu commissariorum, respectu justitiariorum? An jurisdictio prorogata necessaria? An l. 18. h. probet, conventione partium sola non prorogari jurisdictionem apud Romanos? Clericus an prorogare possit jurisdictionem? An doctrinæ de prorogata jurisdictione aliquis usus? Reconventionis doctrina unde petenda? Jurisdictio ecclesiastica & Consistorialis an synonyma? Distinctio jurisdictionis in altam & bassam it. in Ober- und Unter-Gerichte. *Utriusque fundamentum. Confusio doctrinæ de personali & patrimoniali jurisdictione. Patrimonialis quid? An possessor jurisdictionis vel quasi edere teneatur titulum? An actionis de albo corrupto usus? Consensus Dd. de non-usu jurisdictionis Romanæ apud Germanos.*

JUrisdictio consistit in causæ cognitione, sententiæ dictione & potestate exequendi. Cur autem tria hæc capita ad potestatem judicariam requirantur, latius dictum in dissert. *de jurisdict. & magistrat. differentia sec. mor. German. §. 43. seq. item §. 80.* *Jurisdictio quid?*

An detur jurisdictio criminalis absque mero imperio.

Uti autem jurisdictio in sensu Romano communiter pro civili accipiebatur & mero imperio in criminalibus opponebatur; ita HODIE jurisdictionem criminalem dari absque mero imperio, notatur in *Usu moderno* §. *10.* Sed mallem, ut doctrina juris Romani de mero imperio hic non fuisset admixta. Nam accurate loquendo in criminali jurisdictione, ubi hodie alius est executor, ille cujus est jurisdictio, utitur saltem hoc executore, tanquam mero ministro, neque cum hoc jurisdictionem criminalem participat, multo minus dici potest, quod talis executor habeat merum imperium. Et hæc est genuina ratio, cur talis executor non possit prætendere exhibitionem actorum, per tradita *d.* §. *10.* conf. *dissert. nostr. modo citat.* §. *45.* Pariter etiam doctrina de mero imperio tutius in quæstionibus juris Germanici aliis omittitur, quam ut eidem admisceatur. Conf. *Us. mod.* §. *12. 13.*

An distinctio inter jurisdictionem & mixtum imperium apud Germanos in usu?

Distinctio inter jurisdictionem & mixtum imperium uti tota ad jus Romanum pertinet, ita Carpzovius doctrinam juris Romani de mixto imperio incongrue applicavit ad explicationem jurisdictionis bassæ vid. *Us. mod.* §. *3.* & *7.* Quamvis eundem errorem admiserit Facultas juridica Viadrina *ibid.* §. *8.* Nec obstat, quod ibi respectus fuerit habitus ad loca, ubi *alioqui* jus commune est receptum. Nam cum jurisdictio Romana plane non quadret ad mores Germaniæ, per dicta in *Us. mod.* §. *1.* inde, etsi alicubi jus commune alioqui sit receptum, non tamen censetur receptum esse quoad doctrinam de jurisdictione. Unde mallem etiam, ut doctrina de differentia juris Romani inter jurisdictionem simplicem & mixtum imperium non fuisset

fuisset admixta quæstionibus, quæ tractantur in *Us. mod.* §. *9.* nam ibi magis rem obscuriorem reddit, quam ut explicet.

Voluntariam jurisdictionem etiam coram judice incompetente exerceri posse notum est; Ab hac regula excipiunt communiter casum, si ex actu gesto in judicem ordinarium redundet periculum, v. g. in alienatione prædii minoris, & transactione de alimentis, vide Schöpfer. *ad h. t. n. 5.* Verum ista limitatio non quadrat ad regulam, quia hi duo casus non pertinent ex principiis juris Romani ad jurisdictionem voluntariam. Conf. *Us. mod.* §. *12. ad tit. de adoptionibus.* *An dentur actus voluntariæ jurisdictionis & tamen coram judice ordinario necessario expediendi?*

Mores Germanorum videntur ignorasse doctrinam omnem juris Romani de jurisdictione voluntaria. Nam quod actus voluntariæ Romanæ jurisdictionis attinet, adoptionem & emancipationem non esse in usu apud Germanos, jam supra notatum est; Manumissio olim apud Germanos facta fuit, vel coram rege, vel coram episcopo, hodie fit per literas domini absque interventu magistratus. De donationis insinuatione infra videbimus *ad tit. de donationibus;* Ergo sola insinuatio testamenti remanet. At testamenta ante introductum jus Romanum in Academias Germaniæ æque ignorabant Germani. Ergo etiam in hoc solo exemplo hodie obtinet regula, quod insinuatio testamenti possit fieri coram quocunque judice. Non tamen huc poterit applicari altera regula juris Romani de jurisdictione voluntaria, quod scilicet in actibus voluntariæ jurisdictionis non requiratur solennitas loci & temporis, ita ut v. g. servus potuerit manumitti etiam coram prætore in balneum eunte, quod profecto ad insinuationem *An detur apud Germanos jurisdictio voluntaria?*

tionem teſtamenti haud quadrat. Non deſunt quidem apud Germanos exempla jurisdictionis, quæ ſecundum principia juris Romani pertinerent ad jurisdictionem voluntariam, v.g. confirmatio contractuum; ſed ibi haud dubie regula de judice incompetente non valet.

An jurisdictio extraordinaria?

Diſtinctio jurisdictionis in ordinariam & extraordinariam ex omnium confeſſione ceſſat, nam quæ olim ſpeciali lege vel SCto magiſtratui extra ordinem concedebantur, hodie ipſi jurisdictioni cohærent. Unde & jurisdictio criminalis hodie ordinaria eſt. *Uſ. mod.* §.*21*.

An jurisdictio mandata reſpectu commiſſariorum?

Quoad mandatam jurisdictionem communis eſt opinio, ea omnia quæ de mandato alias in jure occurrunt, & hic poſſe applicari, ubi præſupponunt, ipſam jurisdictionem juris Romani apud Germanos in uſu eſſe, quod tamen recte negat Schilterus *Exerc. 5. ad ff. th. 21.* diſſentit *Uſ. mod. ad tit. de offic. ejus cui mand. eſt jurisdictio.* Quamvis enim verum ſit, aliquando commisſionis tenori inſeri, ut commiſſarii poſſint ſententia cauſas dirimere, tamen propterea eorum jurisdictio nec propria eſt, ex ſtilo juris Romani, quia commisſarii eam non habent ex jure magiſtratus, nec mandata, quia habent a principe; Judex enim mandatarius principis eſt paradoxon juris Romani, & cui a principe data eſt jurisdictio, is propriam habet. Neque terminus mandatæ jurisdictionis occurrit in *l. 5. C. de judic.* ad quam provocant; Et præterea verba finalia ibi continent limitationem ſub regula non comprehenſam. Sed conditores juris canonici ita dictam *l. 5.* videntur inepte expoſuiſſe, conf. Lancelotti *Inſtit. jur. can. lib. 3. tit. 1.* §. *12.* & ibi Ziegler. *p. 663.* Adde pro noſtra ſententia, quod jure Romano ideo mandata jurisdictio fuerit intro-

introducta, quia ibi non collegiis ut hodie, sed singulis personis concedebatur jurisdictio. At apud Germanos in collegiis senior assessor personam absentis directoris sustinet. Imo nec præfecti etsi singuli apud Germanos possunt mandare suam jurisdictionem. Tortura vero legum Romanarum de jurisdictione mandata loquentium ad mores Germaniæ summam confusionem introduxit.

Respectu justitiariorum?

Etiam jurisdictio Justitiariorum nostrorum parum apte derivatur ex doctrina juris Romani de mandata jurisdictione, partim quia ipsis jurisdictio universa mandatur, etiam criminalis, quorum utrumque repugnat principiis juris Romani, partim quia ipsi justitiarii plane non habent jurisdictionem, sed sunt meri ministri aut instrumenta nobilium, apud quos vere residet jurisdictio. Unde & praxis hodierna docet, quod etiam recessum fuerit ab ipsa constitutione Carolina criminali *art. 2.* dum in eorum constitutione non solum negligitur consensus superioris, sed & non amplius opus est allegare ullum casum necessarii impedimenti a nobilibus eos constituentibus. Ratio est, quia jurisprudentia hodierna ita est intricata, ut communiter Nobiles in Germania ejus non sint periti. Porro apud Romanos coram mandatario jurisdictionis non poterant expediri actus voluntariæ jurisdictionis, Schöpfer. *hic n. 11.* Sed moribus testamenta insinuari possunt non solum coram justitiariis, sed & coram Sculteto & Scabinis. *Us. mod. h. t. §. 9.*

An jurisdictio prorogata necessaria?

Prorogata jurisdictio dividitur communiter in conventionalem & necessariam, quæ scilicet ex legis dispositione fiat; At hæc posterior stilo juris Romani

ad prorogatam jurisdictionem abusive refertur, quia prorogata est, quæ a privato in alterum est collata. Conf. *Us. mod. §. 22. ab init.*

An l. 18. h. probet, conventione partium sola non prorogari jurisdictionem?

Cum apud Romanos nullum pactum nudum actionem produceret, sed ad efficaciam conventionis requireretur solennis stipulatio, in hoc sensu etiam conventio partium de proroganda jurisdictione non sufficiebat. Frustra autem pro probanda hac assertione citatur l. 18. h. t. vid. Dn. Ludov. *Doctr. Pand. n. 9. b.* cum dicta lex loquatur de casu, ubi prorogatio utriusque consensu vel potius dissensu iterum fuit sublata. Conf. Feltm. *in paraphrasi ad illam legem 18. & Us. mod. §. 25.*

Clericus an prorogare possit jurisdictionem?

Clericum etiam prorogare posse jurisdictionem asserit B. Strykius *in notis ad Brunnem. jus ecclesiast. l. 3. c. 1. §. 12.* & cum eo Dn. Beyer *hic n. 39. seq.* sed in *Us. mod. §. 24. hic* verosimilius adstruitur dispositio juris canonici *C. Si diligenti 12. X. de for. comp.* clericis prorogationem interdicentis, & ejus argumento hæc dispositio applicatur ad studiosos in Academiis.

An doctrinæ de prorogata jurisdictione aliquis usus?

Prorogationis usum hodiernum demonstrare variis argumentis conatur *Us. mod. §. 22. seq.* Consentiunt Dn. Beyer *hic. n. 42.* & alii ab eo citati, item Schöpfer *hic n. 17.* Nobis præterquam quod illæ demonstrationes non videantur esse satis evidentes, sed potius placeat doctrina virorum celeberrimorum dissentiientium tam in Usu moderno, quam apud Schöpferum citatorum; istis demonstrationibus sequentia videntur objici posse. 1. Nituntur illæ falsa hypothesi, valere doctrinam juris Romani in Germania, si non probetur abrogatio; Et paragraphus totus 22. in eo est, ut excipiat adversus hujusmodi probationes, quamvis & his exceptionibus

multa

multa opponi queant. At ex noſtra hypotheſi urgenda potius eſt probatio receptionis, de qua ibi nihil fuit allatum. 2. Cum ita non opus habeamus diſtinctione Schilteri, nec opus etiam erit reſpondere ad ea, quæ adverſus Schilterum proferuntur. §. 23. 3. Miſcentur in illa diſputatione quæſtiones variæ. (1) Non quæritur: an partes in contrahendo ſe ad quodcunque forum obligare poſſint, (quorſum pertinent dicta in §. 24.) Hoc enim forum tum eſt jurisdictionis ordinariæ, i. e. forum contractus, non jurisdictionis prorogatæ, de qua hic quæritur; Ubicunque enim ſolutio eſt promiſſa, ibi eſt forum contractus; Ubicunque me de contractu reſponſurum eſſe dixi, ibi ſolutio promiſſa. (2) Ergo non quæritur, an ſi in illo caſu promittens deprehendatur in loco illo, poſſit invitus cogi ad reſpondendum; nam & hæc pertinent ad naturam fori contractus; Sed quæritur, an in actionibus realibus aut perſonalibus ex delicto vel quaſi delicto, aut quaſi contractu, vel etiam ex ipſo contractu poſt contractum jam ante celebratum partes conventione ſe poſſint obligare ad comparitionem coram judice incompetente, ita ut etiamſi poſtea eos pœniteat, & abſentes ſint, poſſint a magiſtratu illo, in quem promiſerunt, citari efficaciter, ita ut judex domicilii eis cogatur inſinuare citationes, eosque ſiſtere, aut judicatum exequi. Hoc negamus. 4. Multa conceduntur, ut pauciſſimi caſus remaneant pro ſententia quæ defenditur, (1) conceditur, vaſallum alibi comparentem poſſe a domino avocari §. 22. (2) conceditur, clericos & ſtudioſos non poſſe prorogare jurisdictionem. §. 24. (3) conceditur, poſſe lege prohiberi prorogationem *ibid.* 5. Videas igitur,

 annon

annon etiam ex istis concessis recte inferas, eandem esse rationem subditorum, imo & majorem quam in vasallis: item annon valeat argumentum, eandem esse rationem, si nulla lex prohibitiva adsit. Et quid affertur contra hoc ultimum? Nil, nisi in fine §. *24.* quod hic standum sit juri communi; cum tamen hæc assertio petat principium, dum quæritur, an jus Romanum hic sit tanquam jus commune receptum.

Reconventionis doctrina unde petenda?

Species jurisdictionis prorogatæ necessariæ (quam tamen abusive ita appellari jam antea diximus) est reconventio. Cum autem reconventio illa Romana expresse sit recepta in *Ordinat. Camer. part. 3. tit. 30.* inde in quæstionibus eo pertinentibus, magis ad illam legem Germanicam, quam ad leges Romanas erit respiciendum. Exinde enim v. g. probatur, quod reconventio non possit simultaneo processu cum conventione expediri, si non fuerit ante litem contestatam instituta &c.

Jurisdictio ecclesiastica & consistorialis an synonyma?

Jurisdictionem consistorialem & ecclesiasticam apud Evangelicos synonymice usurpari asseritur in *Us. mod.* §. *5.* Sed ista assertio non est universalis, cum principibus liberum sit, an jurisdictionem ecclesiasticam per consistoria, an alio modo exercere velint, vid Schöpfer *hic n. 24. 25.* ubi de Hamburgo, Pomerania Regia, Wismaria, & ditionibus Megapolitanis. Sic & Noribergæ causæ ecclesiasticæ non tractantur in peculiari consistorio.

Distinctio jurisdictionis in altam & bassam, it. in Ober- und Unter-Ge-

Divisio jurisdictionis in altam & bassam originem debet glossatoribus Italis, sive est distinctio jurisdictionis Italicæ noviorum temporum. Hanc vero distinctionem cum initio glossatores illustrare voluerint ex principiis juris Justinianei plane diversis de jurisdictione &

ne & mero imperio, & rursus postea distinctionem jurisdictionis in altam & bassam adhibuerint ad explicandam divisionem jurisdictionis Germanicæ in Cent- und Vogteyliche Gerichtsbarkeit / quæ & ipsa tamen plane diversum fundamentum agnoscit, tantum abest, ut inde lux doctrinæ de jurisdictione fuerit accensa, ut potius per hanc mixturam diversorum & sæpe oppositorum principiorum omnia reddita fuerint confusissima & intricatissima. Quod facile patebit, si quis evolvat ex tractatibus selectis de jurisdictione a Leuchtio editis dissertationem Lindenspürii *de jurisdictione moderna cap. 33. seq. p. 149. seq.* & dissertationes Linckii *de Centena & Vogtheia p. 361. seq. & p. 409. seq.* adde *Us. mod. §. 6. seq.* Quo plures enim scriptores de hac distinctione legas, eo confusior post eorum lectionem recedes. Interim nullum est dubium, distinctionem Germanorum hodiernam in Ober- und Unter-Gerichte ortum ducere ex illa inconcinna applicatione distinctionis jurisdictionis Italicæ in altam & bassam ad mores nostros. Quod si vero ex originibus Germanicis velis naturam der Ober- und Unter-Gerichte perspicue exponere, fundamenti loco supponendum erit, primarium scopum jurisdictionis omnis Germanicæ fuisse coërcitionem criminum, causarum civilium dijudicationem fuisse accessoriam partem jurisdictionis criminalis, quod latius ostendi in dissert. *de jurid. & magistrat. differ. sec. mor. Germ. §. 52. seq.* Hoc vero supposito dicendum erit, jurisdictionem superiorem die Ober-Gerichte olim fuisse penes judicem ordinarium & vicarium beym Reichs-Vogt und Reichs-Schultheiß / secundum ea, quæ ibidem latius sunt deducta; Jurisdictionem

richte. *Utriusque fundamentum.*

ctionem inferiorem autem die Unter-Gerichte/ mensurandam esse ex potestate antiqua relicta consulibus & magistratibus civitatum in imperio, was von den Reichs-Vögten und Schultheißen denen Räthen in Städten übrig gelassen worden/ de qua extant sententiæ veterum scabinorum post speculum Saxonicum. Unde & facile patet, quid sentiendum sit de explicatione communi, quod ad inferiorem pertineant solæ causæ civiles, quæ explicatio merito rejicitur. Conf. *superius notata de jurisdictione criminali.* Sed hæc prolixius demonstrare non patitur præsens institutum.

Confusio doctrinæ de personali & patrimoniali jurisdictione. Patrimonialis quid?

Divisio jurisdictionis in personalem & patrimonialem quam intricate & confuse a Dd. proponatur, patet ex collectaneis *in usu mod.* Causa confusionis est, 1. quod non accurate explicentur fundamenta hujus divisionis & definitiones membrorum ejus, 2. quod videatur esse angustior diviso, nam v. g. jurisdictio magistratus urbici, academica, & omnium collegiorum nec patrimonialis est, quia cives urbici & studiosi non sunt in patrimonio, item quia urbs non est in patrimonio magistratus urbici, nec personalis, quia cum persona non extingvitur; 3. quia origo jurisdictionis patrimonialis non fuit exposita ex antiquitatibus patriis, etsi omnes fateantur, eam esse inventum Germanorum. Itaque sic dicendum. Jurisdictio patrimonialis nil est aliud, quam potestas antiqua dominica in servos, jure novo pallio quodam jurisdictionis involuta. Unde revera jurisdictio patrimonialis exercetur non nisi in rusticos. Romani vero hanc jurisdictionem necessario ignorabant, quia apud eos servi non habebant personam standi in judicio. Apud Germanos autem semper habuerunt. Quoad

An possessor jurisdictionis vel quasi edere teneatur?

Quoad exercitium & possessionem jurisdictionis vel quasi notandum, quod possessor principi omnino teneatur edere possessionis titulum, cum regalia (ad quæ etiam jurisdictio pertinet) sine titulo possideri nequeant, nec unquam a subditis præscribi possint. Vide latius *Us. mod.* §. *27. 28.* Adde disput. nostr. *de præscriptione subdit. adv. princip.*

An actionis de albo corrupto usus?

Actionem de albo corrupto non esse in usu, dictum in dissert. *de Usu act. pœnal. c. 3.* §. *3.* Dissentit *Us. mod.* §. *ult.* item Dn. Berger *de Us. act. pœnalium* §. *16.* Sed respondeo. Qui utilem actionem de albo corrupto hodie dari dicunt, & tamen dicunt, pœnam esse arbitrariam, nesciunt, quid sit actio utilis. Sentiens hanc objectionem Dn. Bergerus, vult hodie agi debere ad pœnam jure Romano determinatam, sed ex principiis ad quæ jam respondimus in *notis ad institutiones tit. de obl. quæ ex del. nasc.* Unde etiam non dicit, quod hæc actio hodie in in foris *appareat*, sed solum, quod *valeat.*

Consensus Dd. de non-usu jurisdictionis Romanæ apud Germanos.

Ceterum quoad usum hujus tituli in genere observandum, quod *Usus modern.* §. *1.* ex Mevio notet, perniciosos esse illos JCtos, qui de moderna jurisdisdictionis forma ex legibus Romanis censent ac disputant, item ex aliis doctoribus, si controversias de jurisdictione ex jure Romano componere velis, æque absurdum esse, quam si lanam ab asino quærere velis, oleum enim & operam perdes.

TIT. II.

Quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem utatur.

SUMMARIA.

An hic titulus contineat || generalem regulam juris natura-

turalis. An ejus usus ratione JCti dolose respondentis? An in rescriptis moratoriis? An in retorsione? An in repressaliis?

An hic titulus contineat generalem regulam juris naturalis?

CUm in hoc titulo injuria *l. 1. in fine*, & dolus *l. 2.* & jus iniquum *l. 3. pr.* coërceatur, atque id in pœnam fieri dicatur *l. 3. §. 2. & 5.* falluntur, qui putant, hic generalem regulam de custodienda æqualitate cum proximo *Matth. 7. v. 12.* a Christo repetitam inculcari, ac simul patet, hunc titulum usu fori in Germania non esse receptum, quia magistratus nostri jus novum statuere nequeunt, uti Prætores. Dn. Beyer. *posit. Pand. hic.* conf. *lib. 1. de nævis jurispr. Antej. p. 38.* Dissentit *Usus mod. hic §. 1.*

An ejus usus ratione JCti dolose respondentis?

Quare etiam falsum est, hodie usum hujus tituli quærendum esse in eo casu, si JCti dolose contra jus respondeant. Schöpfer *hic n. 1.* Quis enim id probabit, cum summa sit juris incertitudo, & nulla sententia sit adeo absurda, ut non inveniat defensores etiam bonæ fidei.

An in rescriptis moratoriis?

Porro & casus de rescriptis moratoriis parum apte ad usum hujus tituli refertur, quia indulta moratoria ad privilegia pertinent, non ad jus iniquum, aut dolo impetratum.

An in retorsione? an in repressaliis?

Quin & affinitas juris hodierni de retorsionibus cum hoc titulo longius quæsita est, cum retorsiones fundent se in æquitate naturali, titulus vero noster loquatur de coërcitione doli. Sed tamen Dd. ne nihil dicerent, maluerunt impertinentia afferre. Unde etiam alii admiscuerunt doctrinam de repressaliis, ut Schöpfer *hic n. 11.*

TIT.

TIT. III.

Si quis jus dicenti non obtemperaverit.

NEc hic titulus usu receptus. Ostendi in disput. *de Usu act. pœnal. c. 3. §. 6.* Adde Dn. Beyerum *ad h. t.* *An hic tit. in usu.*

TIT. IV.

De

In jus vocando.

SUMMARIA.

An in jus vocatio in usu? An reus citari possit inscio judice? An actor opus habeat veniæ petitione? Hodiernæ citationis differentia a Romana?

NEc hic titulus usu forensi receptus est. vid. *dict. diss. c. 3. §. 7.* Dn. Beyer *hic. Us. mod. §. 1.* Dissentit Dn. Berger *de Usu action. pœnal. §. 17. 18.* Et quamvis addatur in *Us. mod. §. 1.* moribus Germaniæ vix probari, ut apparitores reum ad solam actoris instantiam vocent, putarem tamen, quotidianam praxin in inferioribus judiciis inter personas viliores contrarium docere. *An in jus vocatio in usu? An reus citari possit inscio judice.*

Ergo cessat etiam hodie veniæ impetratio, & si quis ea utatur, pro abundante cautela id habendum. *Us. mod. §. 2.* etsi hic iterum dissentiat Dn. Berger *§. 18.* qui id tutius & honestius esse asserit. Quod hactenus admitto, quatenus tutius est, præscindere nimiis adoratoribus juris Justinianei omnem occasionem litigandi. Quare nec necesse erit, ut in supplicatione pro impetranda citatione mentio fiat reverentiæ vinculi, *An actor opus habeat veniæ petitione?*

 Us. mod.

Us. mod. ibid. Neque enim *arg. l. 10. §. 2. h. t.* multum probabit. Ergo etiam otiosæ sunt hodie quæstiones olim a Dd. ventilatæ, v. g. an absque venia dominus feudi, item magistratus, aut nobilis ab homine proprio possit in jus vocari. *U. M.* §. *3.* etsi iterum dissentiat Dn. Berger. *dict.* §. *18.*

Hodiernæ citationis differentia a Romana.

Imo & circa citationem hodie multa se aliter habent, v. g. quod citatus etiam prima vice non comparens condemnetur in expensas, *U. M.* §. *6.* quod citatio hodie regulariter insinuetur in ædibus, §. *8.* & etiam in criminalibus quis de domo sua extrahi possit, §. *9.* quod citatio etiam fieri possit die feriato. §. *10.* &c.

TIT. V.

Si quis in jus vocatus non ierit &c.

Cur hic titulus non in usu? An usus l. 2. pr. h.

NEc hic titulus habet usum forensem, quia præsupponit antiquum modum in jus vocandi, *Us. mod. hic*, & quia actio hæc pœnalis est *dissert. de usu act. pœnal. c. 3.* §. *8.* & quia hodierna pœna contumaciæ non vocari potest mulcta. *ibid.* Unde & *l. 2. pr. h. t.* usus hodiernus de quo loquitur *Us. mod.* saltem theoreticus est, argumentum a pari præbens.

TIT. VI.

In jus vocati ut eant, aut satis vel cautum dent.

Cur h. t. non in usu?

AD rationes, quæ de non usu hujus tituli reperiuntur in *Us. mod. hic* adde & illam, quod regulariter hodie reus non præstet cautionem.

TIT.

TIT. VII.

Ne quis eum, qui in jus vocabitur, vi eximat.

QUamvis *Us. mod. hic* putet, & hodie violentiam eximentium compescendam, actorem etiam actione in factum interesse ab eximente petere posse, & adeo hunc titulum hodie obtinere; verius tamen esse arbitror actionis, de qua hic agitur, pœnalis nullum esse usum forensem, dict. dissert. *de Usu act. pœn. l. 3. c. 9.* ubi responsum dissentienti Schiltero ad Oldendorpium provocanti. Unde etiam facile responderi potest Dn. Bergero *de Usu act. pœnal.* §. *19* inprimis cum hic fateatur, usum forensem consistere in argumento topico a minori ad majus. *An usus actionis hujus tituli?*

TIT. VIII.

Qui satisdare cogantur, vel jurato promittant, vel suæ promissioni relinquantur.

SUMMARIA.

Fidejussoria cautio cur jure Romano præferatur pignoratitiæ? Possessio immobilium quando liberet a cautione? An hic tit. in usu?

PIgnora regulariter de jure Romano non admitti *ob l. 7. ff. de præt. stipul.* ait *Us. mod.* §. *8.* cum tamen dicta lex loquatur de casu, ubi quis jussus ob incertum interesse partis adversæ satisdare, pignora minoris æstimationis dare velit. Nescio igitur quomodo factum fuerit, ut interpretes naturam & scopum cau- *Fidejussoria cautio cur jure Romano præferatur pignoratitiæ?*

 tionum

tionum parum convenienter conceperint, ita ut asſererent, ſi ſatisdatio exigatur, non admitti pignora, quaſi cautio per pignora minus ſecurum reddat eum, cui cautio præſtatur. Dicere potius debuiſſent, non exigenda eſſe pignora. Res a natura negotii dependet. Ob intereſſe incertum non poſſunt poſtulari pignora a parte adverſa. Quodſi alter pignora magnæ æſtimationis dare velit, quis tam ſtultus eſſet, ut recuſaret? Res potius eſſet invertenda: Quoties quis obligatus eſt ad pignoratitiam cautionem, toties non liberatur dando fidejuſſores. *Uſ. mod. ibid.* quia plus cautionis eſt in re, quam in perſona.

Poſſeſſio immobilium quando liberet a cautione?

Quænam ſint requiſita poſſeſſionis immobilium, ſi ea a præſtatione cautionis liberare debeat, vid. B. Stryk. *Introd. ad prax. c. 2. §. 4.* adde eundem *Uſ. mod. §. 9.*

An hic tit. in uſu?

Cæterum cum hic titulus contineat continuationem tituli ſexti, non poteſt eſſe receptus uſu fori Germanici, inprimis cum in Germania reus nullam præſtet cautionem. Quæ vero ex hoc titulo ſubinde in doctrina de cautionibus judicialibus ſolent leges allegari, partim continent argumenta topica, partim allegantur ex ſuperfluo, cum argumenta illa ſint deſumta ex natura negotiorum v. g. *l. 15. h. t.* quæ agit de poſſeſſione rerum immobilium. Adde *Uſ. mod. ad h. t. §. 1. & 2. & 9.*

TIT. IX.

Si ex noxali cauſa agatur, quemadmodum caveatur.

An hic tit. in uſu?

CUm hodie ceſſet actio noxalis, per conſequens hodie nullus præſentis tituli erit uſus. *Uſ. mod. hic.*

TIT. X.

TIT. X.

De eo per quem factum erit, quo minus quis in judicio ſiſtat.

ACtionem hujus tituli hodie nullum habere uſum, *An actio h. t.*
non ſolum exinde patet, quod citatio interrum- *in uſu?*
pat præſcriptionem, ſed &, quod reus hodie in civilibus regulariter non præſtet cautionem judicio ſiſti. vid. D. Beyer *ad h. t.* Conf. diſp. noſtr. *de uſu act. pœnal. c. 3.* §. *10.* ubi ſimul probavi, actionem hujus tituli eſſe pœnalem mixtam. Actio vero ad expenſas retardati proceſſus hodierna, quam ex hoc titulo ſalvam manere aſſerit *Uſ. mod.* §. *2. h.* non eſt actio utilis hujus tituli, ſed plane ab eo diverſa.

TIT. XI.

Si quis cautionibus in judicio ſiſtendi cauſa factis non obtemperaverit.

SUMMARIA.

Circumductus terminus quid? Accuſatio contumaciæ quomodo fiat? Legitima impedimenta unde dijudicanda? An valeat renunciatio impedimentorum. An h. t. in uſu?

IN *l. 73.* §. *1.* & *2. ff. de judiciis* dicitur circumductum *Circumdu-*
edictum peremtorium, ſi is, qui id impetravit, ſeu *ctus terminus*
actor die cognitionis abeſt. In praxi vero hodier- *quid?*
na terminus circumductus vocatur, ubi utraque pars emanet, adeoque neuter tum tenetur ad expenſas.

Quod pœnam contumaciæ attinet, ea prius non *Accuſatio*
decernitur, quam præceſſerit alterius partis accuſatio, *contumaciæ*

 &qui- *quomodo fiat?*

& quidem non in ſcriptis ſed viva voce von Mund aus in die Feder / niſi aliud receptum ſit. Rivinus *ad Tit. X. Ordin. proc. Saxon. Enunc. 71.*

Legitima impedimenta unde dijudicanda?

Quænam impedimenta pertineant ad legitima, communiter ex legibus ff. hujus & aliorum titulorum decidunt. At cum legitima impedimenta non ſint inventa a jure Romano, ſed concluſiones ex jure & æquitate naturali deductæ, non tam ad leges Romanas hic reſpiciendum erit judici, quam ad illam æquitatem.

An valeat renunciatio impedimentorum?

Si quis renunciet omnibus impedimentis, quod ſcilicet iis per modum exceptionis uti nolit, valebit quidem renunciatio, modo tamen fuerit ſpecialis per *l. 4. §. 4. h. t.* adde *Uſ. mod. §. ult.* ubi de generali renunciatione exceptionum ſimul agitur.

An hic titulus in uſu?

Ceſſat autem & actio hujus tituli, ceſſante cautione judicio ſiſti. Dn. Beyer *hic.* inprimis cum apud Romanos in uſu fuerit certam pœnam ſtipulari, ſi reus emanſerit. *Uſ. mod. §. 2.* quæ ſtipulatio pœnalis hodie non eſt in uſu, unde hoc intuitu nec titulus præſens uſum præſtabit in caſu, ſi reus de fuga ſit ſuſpectus. Diſſentit *Uſ. mod. §. 1.* Quæ vero ibidem de cautionibus criminalibus ex uſu hodierno traduntur *§. 3. ſeq.* haud dubie ad uſum hujus tituli non pertinent.

TIT. XII.
De
Feriis & dilationibus, & diverſis temporibus.

SUMMARIA.

Obſervatio de doctrina proceſſuali in genere. Quæſtiones de conſtitutione feriarum & mutatione calendarii

an

an ad hunc titulum pertineant? An uſus juris Romani quoad probibitionem Comœdiarum & quoad inſinuationem citationum die dominica. item quoad citationem in diem feſtum incidentem. Cautela de praxi pia. Feriæ nundinarum quibus proſint? Quæ computatio dierum in Canonicatibus locum habeat? Diverſitas juris Romani & Germanici ac praxeos ratione dilationum.

ETſi feriæ & dilationes adhuc apud omnes gentes in ordine judiciario obſervari ſoleant, & ex divinis feriis quædam ſint omnibus tribus religionibus in Germania communes, uti tamen JCti proteſtantes in eo conveniunt, quod in doctrina de proceſſibus magis ſequamur jus Canonicum, quam civile, inſuper de ea materia non ſolum in ordinatione Camerali & receſſu imperii noviſſimo leges Germaniæ reperiantur, ſed & nulla ſit provincia, quæ non peculiaribus ordinationibus proceſſuum utatur, facile patet, tutius ſtudioſum juris a fidelibus doctoribus in doctrina de proceſſu ablegari ſtatim ad jus canonicum, vel ad ipſas imperii leges & ordinationes proceſſuales, quam ut diu detineatur meditatione proceſſus Juſtinianei, inprimis cum eum ex corpore juris non liceat perſpicue haurire. Quod hic in genere ſemel monuiſſe ſufficiat. *Uſus modernus hic* §. *1.* fatetur, quod in foro multa ſe aliter habeant, quam quidem jure Romano proviſum. *Obſervatio de doctrina proceſſuali in genere.*

Quæſtio quis ferias conſtituere poſſit, de qua agitur *ibid* §. *1. 2. & 3.* ad jus publicum, non privatum pertinet, & præterea aſſertio, quod principibus Evangelicis competat jus feſta ordinandi, non magis poterit proponi ut uſus forenſis *l. 4. C. h. t.* quam ſi quis eam vellet *Quæſtiones de conſtitutione feriarum & mutatione Calendarii an*

ad hunc tit. pertineant? vellet adducere ad usum forensem juris Mosaici probandum, & deducere hanc assertionem ex exemplis Regum veteris testamenti adductorum *dict.* §. *3.* Eadem est ratio dictorum *ibid.* §. *4. 5. & 6.* de reformatione & usu judiciali Calendarii.

An usus juris Rom. quoad prohibitionem Comœdiarum, & quoad insinuationẽ citationum die dominica? Dispositionem *l. ult. C. h. t.* de scenis theatralibus hodie in usu non esse, ex Carpzovio fatetur *Us. mod.* §. 7. An vero illa praxis merito reprehendatur a Brunnemanno, disquiri posset. Certe non eo argumento reprehendi posset, quod Imperatores Romani in *d. l.* contrarium disposuerint. Id obiter noto: In controversiis de comœdiarum tolerantia uti indecens est, si Theologus affectet defensionem comœdiarum, ita & JCto cavendam esse affectatam pietatem per reprehensionem indefinitam comœdiarum. De diversitate praxeos a dispositione *l. ult. C. h. t.* ratione insinuationis citationum die dominica agitur *Us. mod.* §. *8. h.* & *ad tit. de in jus vocando* §. *10.* Etsi vero ibidem Grœnwegen praxin illam parum apte defenderit ex dicto *Psalmi 106. Beati qui faciunt justitiam omni tempore:* tamen ex altera parte cavebit JCtus a formulis: *damnamus illam praxin* & similibus, tanquam quæ hæretificibus merito relinquuntur a cordatis JCtis, quanquam excusationem mereatur facile JCtus, cui forte ex diligenti lectione & meditatione Formulæ concordiæ talia excidunt.

Item quoad citationem in diem festum incidentem. Praxis hodierna de citatione incidente in diem feriatum *ibid.* §. *9.* docet usum juris canonici, non civilis.

Cautela de praxi pia. Quæ §. *10. 11. & 12.* de praxi pia & impia immiscentur, huc non pertinent. Et deberemus ante omnia convenire in definitione pietatis. Uti enim æquitas,

ita

ita & pietas cerebrina datur JCto maximopere cavenda, vid. dissert. nostra *de vera pietate juridica.*

Quod ferias nundinarum attinet, illæ solis mercatoribus prosunt, scilicet ratione immunitatis ab arrestatione. *Uſ. mod.* §. *13.* ubi simul notetur dissensus inter Carpzovium & Brunnemannum cum epicrisi. *Feriæ nundinarum quibus prosint.*

Computatio dierum est vel vulgaris, quæ fit a media nocte ad mediam noctem, vel canonica, quæ computat a vespera ad vesperam. Prioris usum esse in casu, si Canonicus ultimo mensis die moriatur & quæstio sit, utrum in mense papali an capitulari defunctus sit, asserit *Usus mod.* §. *15.* ac responsum adducit, in quo secundum vulgarem computationem decisum est; Verum ista assertio est dubia, cum jura canonica in canonicatibus observentur, adeoque & pro computatione canonica pronunciandum videatur, præterea non satis evidens & certum est, utrum ista computatio ad ferias divinas & sacras recte restringatur. *Quæ computatio dierum in Canonicatibus locum habeat?*

Quæ jus Romanum de dilationibus disposuit, quod in criminalibus tres dilationes, in civilibus una saltem sit concedenda *l. fin. ff. h. t.* usu forensi plane inversa sunt *ibid.* §. *16.* Sic & jure imperii dilatio citatoria deliberatoriam absorbet. §. *17.* Porro uti recessus imperii novissimus dispositionem juris Romani de dilationibus probatoriis non commode exposuit, ita & ipsa dispositio recessus in praxi erronee explicatur §. *18. 19. 20.* Denique hodie contra *l. 4. C. de dilat.* dilatio sine causæ cognitione ad nudam partis instantiam indulgetur. §. *21.* *Diversitas juris Romani & Germanici ac praxeos ratione dilationum.*

TIT. XIII. De Edendo.

SUMMARIA.

Editio libelli an in usu? Praxis clausulæ salutaris? Mutatio libelli quousque licita? Editio instrumentorum cur facta ap. Rom. sine consule & die? An in usu? etiam ex parte reorum. An usus edicti de rationibus argentariorum edendis?

Editio libelli an in usu?

EDitio libelli coram prætore, de qua agitur in hoc titulo, hodie non est in usu, quia non habemus prætorem a judice distinctum, sed hodie reus ante communicationem libelli comparere non tenetur. Et moribus nostris actor ipso jure cogitur ad edendum reo libellum, si citationem a judice impetrare velit. *Us. mod.* §. 1. *in fine.*

Praxis clausulæ salutaris.

Clausula de imploratione officii judicis nobilis communi consensu salutaris appellatur, cum tamen potius sit inanis & superflua, si naturam processus spectes. Interim tamen in praxi multum valet regula: Superflua non nocent, imo prosunt, ubi cum judice veterum formularum amasio res sit, aut ubi plane in ordinationibus processualibus jubetur illa clausula libello inseri, ut fit in ordinatione Magdeburgica *Cap. 18.* §. 1. Adde *Usum mod.* §. 6. 7. 8.

Mutatio libelli quousq; licita?

Mutationem libelli jure Romano etiam post litem contestatam licitam fuisse, hodie vero tantum ante litis contestationem, latius vid. *in Us. mod.* §. 9. 10. 11.

Editio instrumento-

Editiones instrumentorum sine die & consule fieri debere, expresse habetur in *l. 1.* §. 2. *ff. h. t.* sed quanquam

quam clara ſint verba textus, fateor tamen me non intelligere rationem legis (neque enim ſufficit metus fraudationis, v. g. ratione pignoris aut petiti ſacerdotii a Feltmanno *ad h. l.* adductus) inprimis cum finis editionis eſſet, ut deliberet reus, an contendere velit. Quomodo enim deliberabit, inſtrumento ſine die & conſule edito? Conf. *Uſ. mod.* §. *13*.

rum cur facta ap. Rom. ſine conſule & die?

Reliqua quæ de inſtrumentorum editione hic tractantur, recepta ſunt apud nos, quatenus derivantur ex regulis juris naturalis & ordinationibus proceſſualibus, ac receſſu imperii noviſſimo. Uti autem quidam ſunt caſus, ubi in civilibus etiam reum ad edenda actori inſtrumenta teneri dicunt, de quibus vid. *ibid.* §. *17.* & *18.* ita praxis etiam docet, in cauſis capitalibus omnes reorum res ipſis invitis ſtatim perveſtigari; Hoc tamen non fit in proceſſu accuſatorio, ſed inquiſitorio, & forte ad abuſus hujus proceſſus pertinet.

An in uſu? etiam ex parte reorum?

Altera vero pars edicti de rationibus argentariorum edendis & actione ad intereſſe adverſus ipſos ſi non ediderint *l. 10.* §. *ult. hic* apud nos ceſſat, ceſſantibus argentariis publicis. Adde *Uſ. mod.* §. *1.* & *19.* Et comparatio camptorum noſtrorum cum nummulariis Romanis in *dict.* §. *19.* & *20.* præbet ſaltem argumentum topicum.

An uſus edicti de rationibus argentariorum edendis?

TIT. XIV.

De Pactis.

SUMMARIA.

Confuſio doctrinæ de pactis a Juſtiniano facta. Pactum tacitum quid? An ad illud pertineat redditio chirogra-

rographi? Apud Germanos semper data ex pacto actio. Doctrina Romana de pactis non est in usu neque quoad principia, neque quoad conclusiones, v. g. ratione poenitentiae. An in contractu reali rei interventione opus? An pactum de vendendo producat actionem? An cum arrhae dispendio liceat a contractu recedere? Pactum an tollat obligationem ipso jure? An factum promittens liberetur praestando interesse? An alteri per alterum obligatio acquiratur? An usus pactorum successoriorum inprimis de acquirenda hereditate tertii?

Confusio doctrinae de pactis a Justiniano facta. SI rationem introductae differentiae inter pacta nuda & contractus, & rationem inventae stipulationis apud Romanos respicias, illi primario noluerunt, ut conventiones de donando & unilaterales similes citra stipulationem producerent actionem. Unde dum Justinianus *l. 35. C. de donat.* pactum de donando confirmavit, & ita primarium fundamentum jurisprudentiae veteris inter pacta & contractus distingventis sustulerit, retenta tamen ea intuitu conventionum contractus reales & innominatos antecedentium, satis apparet, non optime amplius cohaerere doctrinam juris Romani.

Pactum tacitum quid? An ad illud pertineat redditio chirographi? Pactum tacitum non optime describitur a Schöpfero *hic n. 5.* quod constat consensu praesumto seu ficto. Etenim latius docui in *Jurisprud. div. Instit. lib. 2. cap. 7. n. 18. usque ad n. 33.* quomodo consensus tacitus, qui est veri consensus species, differat a consensu praesumto & ficto, quamvis Dd. communiter ista confundere soleant. Pro exemplo pacti taciti habetur redditio vel laceratio chirographi, quod tamen non indistincte sed addita limita-

mitatione procedit, nisi scilicet reddens adhuc unum exemplar chirographi retinuerit, quia hic videlicet cessat ratio taciti consensus, quæ in eo consistit, quod nemo præsumatur frustra se privare voluisse medio probandi. Dissentit Schöpfer *hic n. 6.* & Lauterbachius *ibid.* citatus *arg. l. 2. §. 1. junct. l. 39. h. t. l. 8. de publ. in rem act.* Sed hæc argumenta sunt contorta. Addit Lauterbachius: alias nihil actum fuisse; sed respondetur, id actum est, ut superflui chirographi reddantur, ne debitor eorum retentione damnum patiatur.

Apud Germanos semper data ex pacto actio.

Hodie ex omni pacto actionem dari, consentit *Us. mod. §. 1.* Quæ vero §. 2. disputantur adversus Dd. negantes, quod jure canonico ex pacto nudo detur actio, ad nos non pertinent, quia apud Germanos etiam ante receptionem juris canonici ex pactis data fuit actio jam tempore Taciti, ut recte notatur *ibid. §. 3.*

Doctrina Romana de pactis non est in usu neque quoad principia;

Quoad usum forensem totius tituli notes. Doctrina Romana de pactis partim continet requisita generalia conventionum humanarum ex regulis juris naturalis & natura actionum humanarum deducenda, & eatenus ea haud dubie usum habent in foris Germaniæ, quamvis hic usus non proprie sit usus juris Romani, quia illa requisita obtinuerunt apud Germanos haud dubie ante Justinianum; partim continet jura peculiaria Romanorum, scilicet differentiam inter pacta & contractus, item inter pacta nuda, legitima & adjecta, & eatenus fatentibus doctoribus ipsis in Germania nullum habent usum. Adde dicta *ad §. 2. Instit. de oblig.*

Neque quoad conclusiones. v. g. ratione pænitentiæ.

Id etiam probe notandum, quod omnes tituli etiam alii in jure Romano, qui continent conclusiones ex differentia pactorum & contractuum profluentes,

 apud

apud Germanos non ſint in uſu. Exempla quædam dedimus in *Notis ad* §. 2. *Inſt. de oblig.* & ex hac obſervatione recte deducitur in *Uſ. mod.* §. 5. & 6. quod apud Germanos non ſit pœnitentiæ locus in pactis, quæ præcedunt contractus ſecundum jus Romanum innominatos, & reales.

An in contractu reali rei interventione opus?

Etſi vero §. 7. ſtatuatur, rei interventionem adhuc hodie neceſſariam eſſe ad mutuum, depoſitum &c. facile tamen ex ibidem dictis patet, quod hoc intelligendum ſit de ſolo nomine, non de producenda obligatione. Unde jam in *Notis ad dict.* §. 2. *Inſtit.* monſtravimus, mutuum &c. hodie non eſſe contractus reales.

An pactum de vendendo producat actionem?

Quod autem *ibidem in* §. 8. pactum de vendendis ædibus referatur inter pacta actionem producentia, diſſentio, cum potius videatur iſtud pactum pertinere ad meros tractatus, quia promiſſio illa eſt vaga & indeterminata, & facile a promittente eludi poteſt, ſi pretium immenſum poſtulet ab altero. Uti enim regulariter nemo ad vendendum cogitur, ita nec cogi poteſt, ut tanti vendat, adde diſp. noſtr. *de arrhis emt.* §. 23. Probare vult aſſertionem ſuam B. Strykius in Tract. *de Succeſſ. ab inteſt. diſſ.* 8. *c.* 10. §. 12. per *l.* 27. *pr. l.* 81. *pr. de V. O. l.* 43. §. *ult. de re jud.* ſed revera hi textus nihil minus probant.

An cum arrhæ diſpendio liceat a contractu recedere?

Quare etiam cadit quæſtio *eod.* §. 8. tractata, an hodie cum arrharum diſpendio a contractu venditionis nondum completo diſcedere fas ſit. Falſo enim ſupponitur, quaſi id licuerit jure Juſtinianeo. Et oſtendi dicta diſput. *de arrhis emtionum* §. 37. 38. quod nunquam ab homine ſanæ mentis arrhæ dari ſoleant in venditione nondum completa, ubi etiam reſpondi §. 48.

&52.

& 52. ad *l. 17. C. de fide instrum.* & Justinianum vindicavi, quod haud locutus fuerit de arrhis imperfecta adhuc emtione datis.

Porro quod in *Us. mod.* §. 9. dicitur, hodie pacta tollere quoque posse obligationem civilem ipso jure, non quidem impugnamus, sed repetimus saltem ex dictis *ad princ. Inst. quib. mod. toll. obl.* quod usu forensi nulla amplius sit differentia inter modos, qui jure Romano tollebant obligationem ipso jure, vel ope exceptionis.

Pactum an tollat obligationem ipso jure?

Hypothesin *in* §. 10. quod jure Romano obligatus ad faciendum liberetur præstando interesse, & ipse olim secutus sum in notis ad Huberi *posit. ad Instit. de V. O.* postea tamen meliora edoctus mutavi sententiam in præfatione ad illas positiones *in fine* & in *novis additionibus ad Prælect. Huberi d. t.* Scilicet verius est, promissa esse servanda, sive promiseris te daturum, sive facturum, tam secundum principia juris naturæ, quam secundum leges Romanas & mores Germaniæ. Fons erroris est, quod dissentientes ea, quæ leges Romanæ de actione ad interesse in promissis faciendi disposuerunt ex regulis æquitatis naturalis in favorem creditoris, exposuerint, ac si respiciant favorem debitoris. Hoc vero supposito, amplius non opus est distingvere inter facta nuda & qualificata, inprimis cum Dd. ea distinctione utentes non conveniant in definitione harum specierum diversarum; vide v. g. Schöpfer. *ad h. t.* Usus doctrinæ hujus v. g. est in conventione locationis conductionis. Hic locator qui ad faciendum est obligatus, haud dubie non liberatur offerendo præstationem interesse. Nos deducimus hanc assertionem ex regula,

An factum promittens liberetur præstando interesse?

regula, quod promissa sint servanda. Dissentientes concedunt quidem, regulariter eum, qui factum promisit, liberari præstando interesse, sed factum locatoris esse qualificatum. Adde disput. *de arrhis emtion.* §. *20.*

An alteri per alterum obligatio acquiratur?

Quod hodie alteri per alterum obligatio acquiratur, de quo agitur *Us. mod. p. 12.* illustrari potest per dicta *ad* §. *4. Instit. de inutil. stipul.*

An usus pactorum successoriorũ inprimis de acquirenda hereditate tertii?

Denique & circa ea, quæ de pactis hodiernis successoriis tam acquisitivis, quam conservativis, & renunciativis tractantur *ibid. a* §. *13. ad* §. *ult.* uti confirmant, quod mores nostri valde abeant a legibus Romanis, ita iis nihil addimus, nisi quod moneamus circa dicta §. *15.* sententiam doctorum, quod nec hodie valeant pacta acquisitiva de hereditate tertii, eo etiam consentiente, nisi in hoc consensu subsistat usque ad mortem, non videri probari posse per regulam: De quo negotio prohibita est stipulatio (apud Romanos) de eo etiam pactum (apud Germanos). Nam si hæc regula vera esset, non valerent etiam hodie pacta acquisitiva de hereditate paciscentium, cujus tamen contrarium recte asseritur §. *18. seq.* Quod vero additur *dicto* §. *15.* pactum hodie subintrasse locum stipulationis, petit principium, & repugnat dictis in §. *3.* quod jam tempore Taciti pacta apud Germanos actionem produxerint. Unde potius sententiæ, quod apud Gernos valeant etiam pacta de hereditate tertii etiam illo non consentiente, favent rationes in fine §. *15.* adductæ, quod talia pacta rationi naturali non adversentur, nec in ejusmodi pactis lateat vitium captandæ mortis, sed hæc potius sint vitia paciscentium, & quod votum illud non tollatur tertio non consentiente, sed augeatur.

Adde

Adde, quod vitium hoc captandæ mortis in Italia frequentiſſimum ſemper ignoraverint mores Germanorum.

TIT. XV.
De
Transactionibus.

SUMMARIA.

Obſervatio generalis de uſu bujus tituli. An dubietas juris ſit unicum requiſitum transactionis? An valeat transactio ſuper relictis in teſtamento? An ſuper alimentis futuris? An juramento confirmata? An valeat in criminalibus? etiam in adulterio? An valeat in matrimonialibus? An reſcindatur transactio propter enormem læſionem? Propter inſtrumenta noviter reperta? Propter moram alterius?

QUatenus leges Romanæ hujus tituli continent principia juris gentium, eatenus uſu Germaniæ cenſentur eſſe receptæ. Quatenus autem habent doctrinas juri Romano proprias, ceſſat præſumtio, & valebit tum transactio apud Germanos ut quodvis pactum de re licita. Vid. Tabor *citatus in Uſ. mod.* §. *1.* fruſtra diſſentiente Uſu moderno *ibid.* *Obſervatio generalis de uſu hujus tituli?*

Si naturam rei conſideres, moribus omnium gentium nemo prudens tranſigit de re certa, ſed dubietas eſt communis cauſa impulſiva transactionum omnium. Cæterum cum dubietas ſit duplex, alia juris, alia eventus, nullum eſt dubium, ſi a legibus humanis abſtrahas, homines prudentes non ſolum ſolere transigere, ſi jus, ſed & ſi eventus ſit dubius, puta, quod adverſarius ſit potens, quod proceſſus ſit tædioſus, quod etiam ſuppedi- *An dubietas juris ſit unicũ requiſitum transactionis?*

peditentur potentibus vitio seculi media speciem juris secum ferentia impediendi executionem rerum judicatarum &c. Quamvis ergo ex dictis dubietas debeat esse non requisitum legale transactionis, sed potius requisitum consuetudinarium, per quod transactio ratione nominis differat a pacto, quo debitum gratis & animo donandi remittitur, non tamen diffitendum est, Ulpianum erronee putasse, *dubietatem* & quidem in specie *juris*, non eventus, esse requisitum transactionis legale & præceptivum, ita ut si dubietas non juris sed solius eventus adsit, non valeat transactio. *Lex 1.* quidem *h. t.* quæ Ulpiani est, secundum sententiam nostram exponi posset, sed *lex 11. ff. h.* ostendit, Ulpianum in errorem illum, nescio quo fato, incidisse. Etsi enim *l. 23. §. 1. de cond. indeb.* ubi primaria sedes hujus doctrinæ continetur, mentionem faciat rescripti Antonini, nescias tamen, annon ipse Ulpianus forte autor illius rescripti sit, videtur enim intelligi Antoninus Caracalla cum Patre Severo. Magis incertum, qua ex ratione sententia hæc singularis apud Romanos quasi communis facta fuerit, ut ea tanquam indubii juris quasi supponeretur adhuc tempore Diocletiani *l. 32. C. h. t.* Sed tamen jam tum eo tempore magis hanc sententiam ad subtilitates theoreticas, aut certe ad formularias fuisse relatam, quam quod vere usum practicum habuerit, docet *eadem l. 32.* quia licuit stipulatione subsecuta Aquiliana obligationem etiam post rem judicatam tollere, etiam dato aliquo *Usf. mod.* §. 7. Ergo non tam prohibitum fuit in effectu, ne quis transigeret post rem judicatam, sed solum post rem judicatam stipulatio fuit ad id necessaria, cum transactio apud Romanos pacto fieret.

fieret. Nam omnes textus, qui in materia transactionis de stipulatione loquuntur, mentionem faciunt stipulationis subsecutæ *l. 15. ff. l. 32. 33. C. h. t.* His vero suppositis cum pateat, illam subtilitatem Romanam de re dubia ad essentiam transactionis pertinente fuisse conclusionem doctrinæ, quod pacta regulariter non producant actionem, mirandum, quod Dd. Germanici sudent docendo, etiam hodienum in foris Germaniæ requiri ad transactionem, ut sit de re dubii juris, & postea se torqueant circa quæstionem, an & quatenus transigere liceat post rem judicatam. vid. Feltm. *ad l. 1. h. t. Us. mod. dict.* §. 7. saltem ne cogantur fateri, legem aliquam Romanam de transactionibus, etiamsi inutili subtilitate subnixam, nullum habere usum in foris Germaniæ.

An valeat transactio super relictis in testamento?

Communis est sententia, non valere transactionem super relictis in testamento, testamenti tabulis non inspectis, sed verius est, nunquam Romanis venisse in mentem, ut prohiberent transactionem testamenti tabulis non inspectis, quod latius probavit eximius JCtus Gerhardus Noodt in *Julio Paulo p. 44. seqq.* & jam ante eum Schiferdegherus *lib. 2. ad Anton. Fabrum tractatu 25.* Unde multo magis valebit gratuita remissio per pactum. Dissentit *Usus mod.* §. *10.* Nullum autem dubium, valere transactionem juratam.

An super alimentis futuris?

Transactio super alimentis futuris in testamento relictis in se nihil habet iniqui, & valuit etiam apud Romanos ante orationem D. Marci *l. 8. pr. hic.* Ipsa tamen dispositio SCti nihil iniqui continet. Unde quæritur de usu hodierno hujus *legis 8.* vid. *Us. mod.* §. *11.* Nobis videtur eorum sententia convenientior principiis juris

Germanici, qui ſtatuunt, non præſumi eam legem eſſe receptam, niſi receptio probetur. Ergo MORIBUS multo magis licebit gratis remittere alimenta, cum nec hoc jure Romano fuerit prohibitum, Struv. *Exerc. 6. th. 58.* Diſſentit *Uſ. mod. ibid.* Non autem obſtat regula Pauli in *receptis ſententiis ſtatim ab init:* De his rebus paciſci poſſumus, de quibus tranſigere. Reſpondetur enim (1) Iſta regula Pauli non extat in corpore juris. (2) Etiamſi extaret in corpore juris, tamen eadem eſſet quæſtio, an ſit recepta. (3) Male torquetur illa ad ſenſum contrarium: Ergo de quibus rebus non licet tranſigere, de illis etiam non licet paciſci. Nam hæc regula aperte falſa eſt, etiam intuitu ipſius juris Romani, v. g. reſpectu criminum, item reſpectu rei dubiæ.

An juramento confirmata? Non autem valere ejusmodi transactionem absque cognitione & decreto magiſtratus, etiamſi acceſſerit juramentum, putant aliqui propter dictam *l. 8. h.* quæ non aliter illam ratam eſſe vult, quam ſi autore prætore facta. Diſſentit *Uſus mod. dict. th. 11. in fine.* Conciliari poteſt utraque ſententia, diſtinguendo inter principia juris civilis & canonici. Quid de USU forenſi? Etiam illi, qui moribus Germaniæ tranſactionem injuratam de alimentis non valere ajunt, dicunt tamen valere juratam. Et recte; quia in dubio jus canonicum in Germania præ Romano receptum (an recte, hic non diſquiro). Unde rurſus patet, quod qui una manu defendunt obſervantiam hodiernam *l. 8.* altera eam iterum deſtruant.

An valeat in criminalib9? Doctrina juris Romani de transactione in criminalibus, cujus ſedes primaria eſt in *l. 18. C. h. t.* communiter quo prolixius, eo intricatius & confuſius exponi

poni solet etiam a JCtis alias celeberrimis, vid. *Us. mod.* §. *12. usque ad* §. *19.* Wissenbach. *in comment. ad d. l. 18. C.* Igitur tentavi, an doctrinam hanc confusam in ordinem possem redigere distinguendo inter accusatorem vel actorem & reum, tum inter crimina publica & delicta privata, item inter crimina capitalia & non capitalia, in *novis addit. ad Huberum h. t. p. 117. in fine.* Illud hic saltem addo, quod Wissenbachius *ad dict. l. 18. C.* statuat, in criminibus capitalibus accusatorem ante institutam accusationem posse transigere sine fraude, i. e. sine metu criminis falsi *p. 182.* in non capitalibus ne quidem ante accusationem transactionem accusatori esse concedendam sine crimine falsi *l. 1. §. 1. & 2. ff. ad l. Corn. de falsis p. 187.* Verum uti *dicta l. 1. §. 1. & 2.* non distingvit inter crimina capitalia & non capitalia, ita & ratio a Wissenbachio *dict. p. 187.* adducta quadrat ad accusatorem ante institutam accusationem in criminibus capitalibus pecuniam a reo accipientem. His suppositis, quod USUM forensem hujus doctrinæ attinet, nullum quidem est dubium, dispositionem juris Romani quatenus in principiis rectæ rationis fundatur, etiam debere applicari ad mores Germaniæ, nisi aliæ rationes obstent. Ita v. g. cum hodie loco processus accusatorii receptus sit in criminibus processus inquisitorius, nullius aut certe exigui usus erit regula juris Romani de prohibita accusatoribus transactione citra metum criminis falsi vel SCti Turpiliani, & cum jam *ad Institutiones* notaverimus, actiones ex delictis privatis usu non esse receptas, frustra etiam quæritur de licentia transactionis in his actionibus tam intuitu actoris, quam rei; etiam in actione injuriarum, etsi hæc in usu sit frequentissima. Unde

verior videtur opinio, quod & hic tam actori, quam reo licita sit transactio. Vide doctores citatos a Schöpfero *hic n. 13.* Confer dicenda *ad tit. de his qui not. infamia.* Et adeo multo magis licebit hodie reo transigere in criminibus publicis non capitalibus, ob identitatem rationis, aut potius argumento a minori ad majus.

Etiam in adulterio? De adulterio non posse fieri transactionem, eamque a communi regula exceptam esse, ex *l. 18. C. h. t.* Dd. asserunt, ac in explicanda ratione hujus exceptionis valde sudant. Verius autem est: exceptionem illam *l. 18.* adjectam esse emblema impertinens vel ipsius Triboniani, vel imperiti alterius interpretis, neque vulgarem rationem de præsumto lenocinio mariti solvere nodum, sed magis arctare, atque adeo HODIE licitam esse transactionem in adulterio tam intuitu mariti accusatoris, quam intuitu rei, per tradita fusius *dict. nov. addit. ad Huber. h. t. p. 115. seq.*

An valeat in matrimonialibus? Quoad transactionem super matrimonio uti apud nos valet dispositio juris canonici, quod contra matrimonium seu de eo dissolvendo non possit transigi, ita quoad USUM ejus practicum in terris principum protestantium notanda distinctio inter sponsalia & matrimonium consummatum, & intuitu posterioris inter transactionem judicialem & extrajudicialem ex *Us. mod. hic §. 21.*

An rescindatur transactio propter enormem læsionem? Propter enormem læsionem transacta non possunt rescindi, quia transigitur de re dubia, i. e. de spe. Unde nescio, ex quibus principiis æquitatis cerebrinæ fuerint commoti JCti, qui autores fuerunt, ut in *constit. Saxon. 34. part. 2.* contraria sententia vim legis acciperet.

peret. Ut enim taceam, ipſam *l. 2. C. de reſc. vend.* eſſe ſubnixam æquitate cerebrina, ut peculiari diſſertatione probavi, debuiſſet ejus legis inconveniens applicatio ad tranſactionem iis nota eſſe ex doctrina, quod nec venditio ſpei reſcindatur, ob enormem læſionem. Sed quemadmodum Jurisprudentia practica ſæpius laborat æquitate cerebrina, ita non mirandum, quod hæc praxis erronea vicerit praxin genuinam judiciorum Germaniæ ſuperiorum. Conf. *Uſ. mod.* §. *fin.*

Propter inſtrumenta noviter reperta?

Neque propter inſtrumenta noviter reperta reſcinditur tranſactio, niſi in illis nova agendi cauſa contineatur. Alias limitationes vide apud Wiſſenbach. *ad Pand. h. t. th. 22.* Qui regulam hanc impugnant, non intelligunt ſtatum controverſiæ & larvas ſibi fingunt, quas oppugnent. Nec obſtat: de non cogitatis non eſt tranſactum. Valet enim hæc regula de rebus, de quibus tranſactum, non de mediis probandi.

Propter moram alterius?

Neque etiam propter moram alterius ſimpliciter recedere licet a tranſactione; nam tranſactionis ſcopus eſt, ut novatio inducatur, in quo tamen diſſentit *Uſ. mod. §. 4. hic.*

LIB. III.

TIT. I.

De Poſtulando.

SUMMARIA.

An probibeatur poſtulare minor 17. annis? an cœcus? An invitus cogi posſit ad patrocinium ſuſcipiendũ? An advocato debeatur promiſſum in caſum victoriæ, etiam ſi

partes

partes transigant? An salarium integrum anno nondum finito? An permissum pactum de quota litis? An palmarium? An advocatus in propria causa exigere possit salarium? An usus tituli apud Germanos?

An prohibeatur postulare minor 17. annis?

DIspositio *l. 1. §. 3. h.* quæ minorem 17. annis in totum a postulando excludit, apud Germanos universali consuetudine non est recepta, non quod hodie ætas septendecim annis minor admittatur ad postulandum, sed quod hodie ætas illa non sufficiat. *Us. mod. §. 2.* Quod vero dicitur, standum esse quoad hanc dispositionem etiam jure Romano tanquam communi, ubi expressa statuta non refragentur, petit principium, vide supra notata *ad tit. de orig. juris* & *ad tit. de his, qui sui vel al. jur. sunt;* quod semel monuisse sufficiat, semper repetendum esse, ubi etiam in sequentibus ex illo principio conclusiones deducuntur. Uti vero recte refutantur, qui præcise ætatem majorennem moribus nostris in advocato requirunt, *Us. mod. §. 3.* ita tamen vereor, ut doctorculus 17. annis minor admittatur in Camera, per ea quæ traduntur *ibid. §. 9.* quamvis & ejusmodi Doctorum casus sit rarissimus.

An cœcus?

Eadem *l. 1. §. 5.* prohibetur etiam cœcus postulare, sed cum ratio legis, quod videlicet insignia magistratus videre & revereri non possit, vix quadret ad mores nostros, haud dubie cœcus apud nos non repelletur a postulando in judiciis inferioribus *Us. mod. §. 6.* imo nec a superioribus, quamvis in his plerumque sint advocati ordinarii.

An invitus cogi possit ad

Invitum etiam aliquem cogi posse, ut patrocinium causæ suscipiat, asserunt communiter ex *l. 7. C. h. t.* ve-

6. t. verum tot admittuntur exceptiones, quæ prope tollunt regulam, v. g. opinio de injustitia causæ, prætextus aliorum negotiorum &c. *patrocinium suscipiendum?*

An id, quod advocato promissum est in casum victoriæ etiam solvendum sit, si amicabili compositione causa transacta sit, affirmat ex *l. fin. mandati* Lauterbachius, sed mallem hic dissentire. Nam aliud est, promittere alicui participationem de quocunque eventu litis, de quo agit dicta *l. fin. pr.* aliud, promittere alteri aliquid in casum victoriæ. Sed non mirandum, quod Dd. in favorem advocatorum tales legum extensiones faciant. *An advocato debeatur promissum in casum victoriæ etiamsi partes transigant?*

Ratione salarii annui advocato promissi putant Dd. ejus diem statim cedere sub initium anni, idque deberi, licet advocatus intra annum moriatur, per *l. 1. §. 13. ff. de extraord. cognit.* & *l. 12. §. 1. ff. quando dies leg. ced.* cum tamen prior textus loquatur saltem de advocatis fisci, & de casu, an repeti possit ab heredibus advocati salarium jam solutum, non vero an heredes illud exigere possint; argumentum vero ex altero textu parum probat, uti nec argumentum *l. 4. de offic. assess.* quod alii adducunt, vid Schöpfer. *hic n. 15. 16.* Ergo de hac quæstione idem esto judicium uti de præcedente. *An salarium integrum anno nondum finito?*

Pactum de quota litis, quod olim apud Romanos propter L. Cinciam prohibitum erat, ut ostendit Brummerus *ad L. Cinciam cap. 9. p. 132. seq.* hodie ex ea ratione non permissum esse putant, quod ejusmodi pactum advocatos invitaret ad delinquendum. Sed hæc ratio non est genuina. Dic potius, ut Dd. Germanici dispositionem hanc legum Romanarum ad mores Germanorum plane non quadrantem legibus im- *An permissum pactum de quota litis?*

K perii

perii tamen inserentes (vide juramenta personarum Cameralium post recessum imperii Wormatiensem de anno 1535. *n. 5. & 6. Ordin. Camer. Part. I. tit. 62. & 64.)* & veram ejus prohibitionis rationem secundum statum illorum temporum ignorantes, aliquam saltem rationem, etsi parum solidam, afferrent: Æque enim ad delinquendum invitare potest salarium pro singulis terminis ipsis indultum.

An palmarium? Palmarium contra licitum esse arbitrantur, cum in eo ratio §. *praced.* adducta cesset; Verum non cessare eam, sed etiam advocatos veteres istud palmarium invenisse in fraudem legis Cinciæ, & varias aniles & superstitiosas artes invenisse, ne palmariis exciderent, evidenter docet Brummerus *dict. cap. 9. p. 135. seq.* Ergo ratio potius videtur in eo quærenda, quia in dicta lege palmarium reductum est ad summam consvetam centum aureorum.

An advocatus in propria causa exigere possit salarium? An advocatus in propria causa ab adversario salarium exigere possit, si impensæ litis ipsi adjudicentur, indistincte affirmant Bachovius *ad Treutl.* & alii quos citat Schöpfer. *n. 17;* alii concedunt sub limitatione, ut probet interesse; sed eo casu dubito, an advocatus aliquid obtenturus sit.

An usus tituli apud Germanos? Quod USUM totius hujus tituli attinet, cum multa in eo occurrant ex natura rei & regulis communibus decori deducta, multa vero etiam in specie statum rei Romanæ spectantia, e. g. de cœco, de salario centum aureorum, de pacto quotæ litis, de immunitate advocatorum, de qua vid. *Us. mod.* §. *11. & 12.* porro etiam alia, quæ usu obtinent, sint juris Germanici, ut limitatio de fœminis, quæ certis in causis ad postulandum admittuntur,

tuntur, ac præterea de advocatis Cameralibus ſint peculiares tituli in ordinationibus imperii, & nulla ſit provincia, quæ non peculiaria diſpoſuerit de advocatis, partim in ordinationibus proceſſualibus, partim in legibus aliis; facile patet, ambagibus uti, qui doctrinam de advocatis diſcere volunt ex jure Romano, aut illis confidunt doctrinis, quas Dd. ad hunc titulum tradere ſolent, inter quas ſunt, ubi limitationes tollunt ipſas regulas, v.g. quod invitus ad poſtulandum cogi posſit; aliæ iniquæ ſunt & irrationales, v.g. quod promisſum in caſum victoriæ debeatur etiam transactione ſubſecuta; it. quod annui ſalarii dies ſtatim ſub initium anni cedat, item quod advocatus promiſſum certum ſalarium poſſit petere, etiamſi cauſam deſeruerit, poſtquam illam malam deprehendit; Schöpfer hic *n. 13.* Adde Dn. Beyer. *in poſit. ad Pand. h. t.*

TIT. II.

De his, qui notantur infamia.

SUMMARIA.

Differentia inter infamiam juris & facti. Origo doctrinæ de levis notæ macula. Genuina doctrina de infamia. Infamiæ diverſitas ſecundum mores Romanorum; ſecundum mores Germanorum antiquos & hodiernos.

VUlgaris eſt differentia inter infamiam juris & facti, ſed parum intereſt, an infamiam facti retineas, an rejicias. Id certum, infamiam juris primario huc pertinere, effectus enim infamiæ facti, quod v. g. impedimento ſit in honoribus con- *Differentia inter infamiam juris & facti.*

 ſequen-

ſequendis &c. dependent ab arbitrio eorum, qui honores conferunt.

Origo doctrinæ de levis notæ macula.

Doctrina de levis notæ macula inventa eſt a doctoribus, & præter intentionem legislatorum Romanorum exſculpta ex verbis *l. 27. C. de inoff. teſtam.* ut poſſent rationem dare aliquam utcunque ex legibus Romanis, cur carnifices, caſtratores ſuum, lictores, ſpurii, adulterini & inceſtuoſi moribus noſtris habeantur pro infamibus in effectu. Vide *Coroll. 13. ad diſp. de exiſtimatione, fama & infamia;* & de carnifice in ſpecie *Coroll. 12.* & *Uſ. mod. h. §. 3. 4.*

Genuina doctrina de infamia.

Confundunt communiter doctores ad hunc titulum infamiam moralem cum infamia politica ſeu juridica. Doctrinam de infamia morali in ordinem redigere tentavi in modo allegata diſputatione. In jure infamia eſt excluſio ab honoribus & fide hominum integra fama præditorum non ſolum ob delictum, ſed & ob aliud factum vile vel turpe, ob quod lex vel mores aliquem infamia notant. Cauſa igitur infamiam imponens eſt ſolus legislator vel populus, non privati, & meritum infamiæ non eſt quævis nec ſola actio moraliter turpis, ſed actio, quam lex aut mores infamia notant. Alia vero eſt ratio hic communiter monarchiarum, alia ariſtocratiarum & liberarum rerumpublicarum *Coroll. 9. & 10. ibid.* Ergo cum non omnia apud omnes ſint honeſta vel turpia, ſingularum regionum mores in doctrina de infamia ſunt ſequendi.

Infamiæ diverſitas ſecundum mores Romanorum.

Unde patet, exiguum eſſe uſum hujus tituli quoad cauſas & effectus infamiæ in foris Germanorum. Hinc apud nos in ſcenam prodeuntes, fœminæ intra annum luctus nubentes, milites prædia conducentes, tutores

pupillas

pupillas ducentes non redditis rationibus, non ſunt infames; Conſentit *Uſ. mod.* niſi quod ratione tutorum ipſi non placeat abrogationis ratio ex jure canonico petita §. *11.* Sed fruſtra eſt quærere de abrogationis ratione, ubi nondum probata receptio, ac nulla receptionis ratio afferri poteſt ad mores Germanorum quadrans. Porro nulla actio civilis infamat. Neque omnes damnati de crimine publico aut injuriarum apud nos pro infamibus haberi ſolent, niſi expreſſe in ſententia id adjiciatur, aut genus pœnæ infamet. Conf. Dn. Beyer *ad h. t.*

Jus Germanicum habet rurſus ſuos infames, quos jus Romanum ignoravit. Imo hac parte mores hodierni variant ab antiquioribus. Multa diſponunt ſpecula Saxonicum & Svevicum de hominibus infamibus, qui rechtloſe Leute vocantur, eoque referunt Kämpffer und ihre Kinder/ und Spielleute/ und alle die unehlich gebohren ſind/ ꝛc. und die ihren Leib/ oder Haut und Haar ledigen mit Gelde; Landrecht *lib. 1. art. 37. & paſſim.* Mererentur hæc jura magis, ut exponerentur a JCtis, quam mores Romanorum. Sed ipſe Schilterus hic ſuperficiarie rem tractavit. Tetigi nonnulla in diſſertatione *de Noricorum cauſis exheredandi.* *Secundum mores Germanorum antiquos,*

De iis qui hodie pro infamibus habentur v. g. ſpurii, carnifices, lictores, fuſtigati, die unter Scharffrichters Händen geweſen/ Schwein-Schneider ꝛc. multa ſe offerunt dictu jucunda intuitu originis, vide *dicta Corollaria.* Tempore ſpeculi Saxonici collecti carnifici dem Fronboten particula judiciariæ poteſtatis fuit concredita, conf. diſſert. *de juriſdict. differentia ſec. mor. Germ. th. 81.* Id quidem facile olfaciendum, doctri- *& hodiernos.*

 næ juris

næ juris canonici, quod Ecclesia ſcilicet & eccleſiaſtici abhorreant effuſionem ſangvinis, hic multum deberi, ſed tamen diu poſt receptum in Germania jus canonicum carnifices adhucdum fuere perſonæ integræ famæ. Quis crederet hodie barbitonſorum, **die heute nicht mehr Meiſter ſondern Printzen ſind** / filios olim fuiſſe pro infamibus habitos, niſi receſſus imperii id loquerentur. Quoniam vero JCti in hac materia plerumque ſunt antiquitatum & juris Germanici ignari, & omnia volunt ad normam juris Romani exigere, inde tot varia jura provincialia & tot variæ opiniones de infamibus. Porro effectus infamiæ rigide nimis, ſed fere unice ab opificibus ſolent obſervari, quorum jurisprudentia etiam poſt opus Adriani Beieri adhuc deſiderat diligentiorem inquiſitionem, cum is autor ſatis quidem diligens fuerit in concluſionibus congerendis, ſed pauca attulerit ad oſtendendos earum fontes. Mercatores, imo & ipſi doctores Academici non adeo nauſeant homines, qui ab opificibus non facile reciperentur, vid. Schöpfer *hic n. 4.* de quo latius dixi *in Coroll. 20. ad dict. diſput.* Ubi etiam *Coroll. 19.* ſimul actum fuit de differentia perſonarum vilium & infamium.

TIT. III.
De
Procuratoribus & defenſoribus.

SUMMARIA.

Procurator an admittatur in criminalibus? Origo clauſulæ cum libera. An hodie detur dominium litis? An uſus tituli?

Pro-

PRocurator in criminalibus apud Romanos neque ex parte accusatoris admittebatur, partim propter inscriptionem actoris ad similitudinem supplicii, partim ideo, quia in criminalibus quilibet de populo accusabat, quod non videntur recepisse mores Germanorum. Unde facile responderi poterit ad ea, quæ in contrarium afferuntur in *Us. mod.* §. 4. quamvis & hæc quæstio hodie non sit magnæ utilitatis ob deficientem usum processus accusatorii in criminalibus. Unde etiam limitanda est sententia, quod hodie, ubi agitur de pœna pecuniaria, pro reo etiam admittatur procurator *Us. mod.* §. 9. & 10. quod valeat saltem in processu accusatorio; nam in inquisitorio etiam in his casibus reus ipse debet respondere ad articulos. *Procurator an admittatur in criminalibus?*

Distinctio inter constitutionem procuratoris cum libera & sine libera originem debet juri canonico, non civili, ut recte docetur *Us. mod.* §. 33. Dissentit tamen *Us. mod.* §. 34. a *Cautelis contract. Sect.* 2. *c.* 11. §. 4. Illic enim asserit, clausulam cum libera facere amplissimam potestatem mandatario illa faciendi, quæ alias mandato non comprehensa. Hic vero otiosam eam esse ostendit. *Origo clausulæ cum libera.*

Dominium litis quod attinet, distincte probavit Schilterus *Exerc.* 10. *th.* 43. *seq.* moribus Germaniæ, etiam Cameralibus, cessare omnes effectus juris Romani, qui fluebant ex effectu dominii litis procuratorio. Adde Dn. Beyer. *ad h. t. posit.* 71. *seq.* item Dn. Böhmerum *peculiari dissertatione.* Dissentit *Us. mod.* §. 38. *seq.* Dn. Berger *peculiari dissert.* Etsi igitur in recessu imperii *de anno* 1654. §. 99. procurator dicatur dominus litis, nil aliud tamen exinde evincitur, quam quod *An hodie detur dominium litis?*

autor

autor illius paragraphi ex nimio amore juris Romani hoc prædicatum impertinenter adhibuerit.

An usus tituli?

Quoad USUM vero totius hujus tituli notandum. Quatenus in doctrina de procuratoribus supponitur contractus mandati, qui est juris gentium, eatenus jus Germanicum haud dubie convenit cum jure Romano, quatenus vero agitur de officio procuratorum intuitu processus, eatenus magis sequimur doctrinam juris canonici, nisi ab ea recessum sit, aut aliud per mores diserte receptum. Unde hic repetenda sunt, quæ monuimus *ad tit. de feriis.* Vid. *Us. mod. hic* passim.

TIT. IV.

Quod cujusque universitatis nomine vel contra eam agatur.

Doctrina Romana de Syndicis an in usu?

CUm Syndicus sit quasi procurator universitatis, eadem quoad usum Germaniæ hic notanda sunt, quæ diximus de usu forensi tituli præcedentis. Inde melius discitur officium Syndicorum nostrorum ex ordinationibus processualibus & moribus singularum civitatum. Plures ergo differentias Syndicorum Romanorum & Germanorum vide notatas in *Usu mod. hic.*

TIT. V.

De

Negotiis gestis.

SUMMARIA.

Hic titulus in quibus obtineat? In quibus cesset?

Hic titulus in quibus obtineat?

ACtio negotiorum gestorum cum tota nitatur æquitate juris naturalis & sit juris gentium, inde haud dubie

dubie moribus Germaniæ ea in uſu ſunt, quæ ex illis principiis in hoc titulo definiverunt JCti Romani. Quare recte contra doctores citatos in *Uſ. mod.* §. 5. defenditur, prohibente domino negotia gerentem non poſſe repetere impenſas.

Reliqua quæ ex principiis juris Romani ſpecialibus proveniunt, nullum præſtabunt uſum forenſem, v. g. quæ traduntur de culpa lata, levi & leviſſima, pro ratione diverſorum caſuum præſtanda, per ea, quæ dicemus *ad tit. Commodati*, item quod negotiorum geſtor pecuniam exactam in proprios uſus convertens teneatur ad uſuras centeſimas *l. 38. §. 1. h. t.* Schöpfer. *hic n. 13.* item quæſtio: utrum domino negotium geſtum ratihabenti danda ſit actio mandati, an negotiorum geſtorum? Etſi enim opponatur in *Uſ. mod.* §. 3. actionem mandati infamare, & hoc tamen negavimus *ad tit. de his qui not. infam.* De pſeudo-privilegio pupilli conventi contraria actione negotiorum geſtorum, quod interpretes invita jurisprudentia exſculpſerunt ex *l. 34. pr. de neg. geſt.* ac ſi pupillus litis conteſtatæ tempore adhuc debeat eſſe locupletior, egi peculiari diſputatione. *In quibus ceſſet?*

TIT. VI.

De calumniatoribus.

Diximus jam *ad Inſtit. §. 25. de action.* actionem pœnalem de calumniatoribus moribus Germanorum uſu non eſſe receptam. Unde facile concedimus, eam in Germania nunquam eſſe abrogatam *Uſ. mod. hic* §. 2. Quod vero *ibid.* dicitur, illud fundamen- *An actio de calumniatoribus in uſu?*

mentum, quasi hodie omnes actiones in duplum & quadruplum cessent, esse futile, facile excusamus; Tum enim ejus veritas nondum erat ad oculum demonstrata, quod interim feci in disputatione *de usu actionum pœnalium*. Præterea quod Dn. Berger in dissert. *de usu action. pœnal.* §. *40.* asserit, eam hodienum institui *posse*, facile corruit per ea, quæ notavimus *ad Institutiones de oblig. quæ ex del. nasc.* Et bene se res habet, quod non dixerit, eam hodie unquam *fuisse* institutam. Esto, Fridericum Imperatorem dispositionem juris Romani repetiisse in constitutionibus Siculis, sufficit, quod non fuerit repetita in constitutionibus imperii Germanici.

LIB. IV.

TIT. I.

De in integrum restitutionibus.

SUMMARIA.

An restitutio fieri possit in loco contractus? An usus restitutionum prætoriarum? | *An restitutio in usu tanquam remedium extraordinarium? An tanquam ordinarium?*

An restitutio fieri possit in loco contractus?

COmmunis est sententia, in foro contractus rescissoriam actionem non posse institui nec ad restitutionem agi, per *l. 2. C. ubi & apud quem.* Sed contrarium est verius, per dicta a Schiltero *Exerc. XI. th. 10.*

An usus restitutionum prætoriarum?

Quoad usum restitutionum prætoriarum, de quibus hoc *libro 4.* agitur, notandum, earum HODIE nullum vel certe exiguum esse usum forensem, quia hodie

hodie fatentibus ipsis Dd. quilibet magistratus jurisdictione inferiori pollens restituit. *Us. mod.* §. 6. *hic.*

Deinde, etsi restitutiones prætoriæ hujus libri summa quidem æquitate niterentur, non admittebant tamen eas subtilitates juris civilis Romani citra extraordinariam opem prætoris. Si ergo ostendatur in singulis titulis specialibus hujus libri, subtilitates illas juris Romani in Germania nunquam fuisse usu receptas, sua sponte etiam sequitur, restitutionis remedia hæc extraordinaria etiam apud Germanos nullam vel exiguam habere utilitatem. *An restitutio in usu tantquam remedium extraordinarium?*

Unde quamvis restitutionum nomen in foro contra sententias & fatalia processuum frequenter occurrat in usu forensi, fatentur tamen doctores, in plerisque provinciis restitutiones has esse remedium ordinarium appellationibus fere æquipollens, quibus quantum temporis spatium præscriptum sit, ex singularum provinciarum ordinationibus discendum erit; alias in dubio in minoribus, piis causis, fœminis &c. quadriennium est receptum, *Us. mod.* §. 8. Quamvis tædiositas hodierni processus in eo valde abeat a dispositione juris civilis, quod hoc quadriennium finiendæ, praxis contra saltem inchoandæ restitutioni præscribat, *Us. mod.* §. 9. *An tanquam ordinarium?*

TIT. II.

Quod metus causa gestum erit.

SUMMARIA.

An usus actionis quod metus causa in quadruplum? || *An in simplum?*

 Osten-

An usus actionis quod m. c. in quadruplum?

OStendi in disputatione de *usu action. pœnal. c. 3. §. 14.* hanc actionem, quatenus arbitraria est, & in quadruplum datur, MORIBUS Germaniæ non esse in usu. Conf. Dn. Beyer *ad Instit. de actionibus pos. 150. seq.*

An in simplum?

Jam ostendendum est, ea jure Germanorum non esse opus, quatenus datur in simplum. Jure Romano ideo opus erat, quia secundum hypotheses Stoicorum alienatio vel datio metu facta tanquam actio spontanea ipso jure subsistebat, exceptione similiter opus erat in contractibus, ob eandem rationem. Jam cum ex principiis moralibus sanioribus constet, quod alienatio & promissio metu inita sint ipso jure nullæ *Us. mod. h. t. §. 3.* quid opus restitutione prætoria, cum metum passus habeat hoc præsupposito rei vindicationem vel publicianam adversus quemvis possessorem, & in promissionibus aut exceptionem ex natura contractus, aut condictionem sine causa. Et hæc etiam remedia pro pinguioribus erunt habenda ratione durationis. Conf. Gerh. Noodt *de dolo malo cap. ult.*

TIT. III.

De dolo malo.

SUMMARIA.

An usus actionis de dolo? An adhuc hodie præscribatur biennio? An usus distinctionis inter dolum dantem causam contractui & incidentem?

An usus actionis de dolo?

CUm prolixe probaverim in dissertatione *de usu act. pœnal. c. 3. §. 15. & 16.* actionem hanc etiam esse otiosam de jure Germanico, nec quenquam ex con-

contractu de dolo conventum infamari, hic nihil addendum. Confer ſupra notata *ad tit. de his qui not. infam.* & D. Beyerum *ad h. t.*

Unde & ceſſat HODIE diſpoſitio de biennio ratione præſcriptionis hujus actionis, ut mirer adeo, D. Beyerum *d. l.* biennium adhuc hodie admittere. Dicit equidem id fieri, quod actio hæc ſit odioſa & difficillimæ probationis. Sed quomodo odioſa eſſe poſſit hodierna actio ob dolum, cum fluat ex natura promiſſionum, nec amplius infamet. De probatione vero videbit ipſe actor. *An adhuc hodie præſcribatur biennio?*

Porro etiam diſtinctio Dd. inter dolum dantem cauſam contractui b. f. & incidentem HODIE non præſtabit uſum forenſem, cum formula nullitatis & actionis ex contractu ad idem tendant, & utraque ſit perpetua. Imo ex ipſis principiis doctrinæ juris Romani diſtinctionem inter dolum dantem cauſam & incidentem rejicit, ac poſteriorem etiam reddere contractum nullum docet Gerh. Noodt *de dolo malo c. 3.* Adde, quod formula de dolo etiam intuitu actionum b. f. demum tempore Ciceronis ſit inventa. Cicero *de officiis l. 3. p. 481. ſeq. ibique* Rachelius; Noodt *d. l. c. 5.* *An uſus diſtinctionis inter dolum dantem cauſam contractui & incidentem?*

TIT. IV.

De minoribus viginti quinque annis.

SUMMARIA.

Origo & progreſſus reſtitutionis minorum ap. Romanos. Cur olim apud Germanos non fuerit uſitata? An hodie in uſu ratione contractuum & alienationum? An ratione ſententiarum & fatalium?

L 3 Jure

Origo & progressus restitutionis minorum apud Romanos.

JUre Romano minores non cogebantur habere curatores nisi in litem, § *2. Inst. de Curat.* sed negotia & bona sua ipsi administrabant. Cum vero hoc modo circumventionibus & læsionibus ob lubricum ætatis valde essent expositi, tutelam eorum Prætor gerens indulsit ac invenit restitutionem, quam haud dubie non invenisset, si ordinarie habuissent curatores, unde & in Pandectis casus de restitutione minorum curatores habentium in actibus extrajudicialibus vel nulli sunt, vel rarissimi. Postquam vero restitutio hæc prætoria interpretatione prudentum semel extensa esset, ut locum haberet etiam in actibus judicialibus, ubi minores sine curatoribus agere nequeunt *l. ult. ff. de in integr. rest.* postea etiam sub Alexandro prævaluit opinio extendentium restitutionem ad negotia extrajudicialia minorum, curatoribus & tutoribus licet intervenientibus *l. 2. & 3. C. si curator interven.* ubi tamen causæ cognitio præcedere solebat etiam de jure Romano, quoniam tum læsio non ita facile præsumebatur.

Cur olim apud Germanos non fuerit usitata?

Germani contra cum voluerint ab antiquis temporibus, minores æque ac impuberes habere suos tutores, ante receptum jus Justinianeum etiam non dederunt restitutionem in integrum, sed pupillus vel minor conveniebat tutorem, Jus provinc. Svev. *art. 316. §. ult. 317. 318. §. 1. & 2.* nisi tutor donaverit; *dictis textibus.* Postea tamen JCti hujus tituli usum ubique voluerunt in fora introducere, inprimis cum etiam piæ causæ utantur juribus minorum ex principiis juris canonici.

An hodie in usu ratione

Crederem tamen, in ipsis judiciis vix in seculo unum vel duos casus posse ostendi, ubi minores in contracti-

tractibus vel alienationibus ex hoc titulo causam obtinuerint, & non evidens affuerit adversarii dolus vel simile quid. Sane, ubi magistratus Germanici officium suum recte exequuntur, & singulis annis tutores ad rationes reddendas adigunt, casus hujus tituli vix sunt dabiles; Adde, quod & usum hujus tituli rariorem faciat confirmatio contractuum per juramenta minorum. *contractuum & alienationum?*

Cæterum restitutio minorum contra sententias & fatalia usu frequentissima est. *An ratione sententiarum & fatalium?*

TIT. V.

De capite minutis.

CEssat & USUS hujus tituli in foris Germaniæ (1) quia Germani ignorarunt omnem capitis diminutionem, quod latius ostendi *ad Inst. h. t.* (2) quia Schöpferus post alios ibi citatos recte monet *ad hunc tit. in fine*, etiam jure Romano post *l. 2. ff. quod cum eo &c.* non amplius fuisse usum forensem hujus tituli. Quod in specie arrogationem attinet, etsi ea foret recepta a Germanis, tamen intuitu hujus tituli nullum haberet usum, quia in casu arrogationis neque jure Romano restitutione fuit opus. *Us. mod. §. 5. hic.* *Cessat tam ratione emancipationis quam arrogationis.*

TIT. VI.

Ex quibus causis majores XXV. annis in integrum restituuntur.

SUMMARIA.

An locus restitutioni in absentia voluntaria indifferenti? An usus tituli? An clausulæ salutaris Prætoris?

In

An locus restitutioni in absentia voluntaria indifferenti?

IN absentia necessaria vituperabili aliquando restitutioni locum esse, patet ex *l. 26. §. 1. h. t.* ubi Ulpianus relegato ex causa succurrendum esse putat. Hinc a minori ad majus duci potest argumentum. Si enim relegati hoc casu habent restitutionem in integrum, multo magis ea mercatoribus erit indulgenda & aliis in absentia voluntaria indifferenti constitutis.

An usus tituli?

De raro usu forensi hujus tituli repetenda ea, quæ diximus *ad §. 5. Instit. de actionibus.*

An clausulæ salutaris Prætoris?

Quod restitutionem ex salutari clausula Prætoris in *l. 1. §. 1. in f. h. t.* fundata attinet, de ea sic tenendum. MORES nostri cum in omnibus æquitatem naturalem sequantur, secundum eos etiam speciali illa & extraordinaria restitutione in casibus, ubi id æquitas postulat, non est opus, sed sufficiet ibi simplex imploratio judicis vel exceptio. Quinam autem sint casus huc pertinentes, iterum ex dictamine rectæ rationis magis, quam ex jure Romano petendum. Ita cuilibet patet, casum *l. 1. §. 1. h. t.* si judex jus reddere nolit, vel absens sit, apud Germanos vix esse dabilem. Multo minus judici insubidæ omnes pragmaticorum opiniones temere sunt arripiendæ, monente Schiltero *Exerc. XI. §. 30.* Unde probabilis ignorantia vix causam restitutioni præbebit. In casu longi & longissimi temporis id concedunt doctores, vid. Schöpfer. *hic n. 11.* In præscriptione mobilium præscriptio brevioris temporis vix in seculo occuret *§. 2. Instit. de usucap.*

TIT. VII.

De alienatione judicii mutandi causa facta.

SUM-

SUMMARIA.

An usus actionis h.t. apud Romanos? An ea pingvior rei vindicatione utili? An ejus usus apud Germanos?

ACtio hujus tituli haud dubie a Prætore inventa fuit, antequam JCti ex SCto rei vindicationem extenderent adversus eos, qui dolo desierant possidere *l. 27. §. 3. de R. V.* Hac vero extensione recepta, etiam jure Romano nullum habuit usum, adeoque a collectoribus Pandectarum imprudenter fuit Pandectis inserta. Quod enim quidam putant, actionem hujus tituli esse pingviorem utili rei vindicatione, id jam ab aliis est refutatum, vid. D. Beyer *ad h. t.*

An usus actionis h.t. apud Romanos?

An ea pingvior rei vindicatione utili?

MORIBUS ergo nostris eo minus de non usu hujus tituli dubitandum est, etsi certum sit, eum apud Germanos nunquam esse abrogatum, quia nunquam obligavit Germanos jus Justinianeum. Si vero vellet quis hodie ex edicto hoc experiri, recte rejiceretur a reo per exceptionem actionis a Germanis non receptæ, conf. *Us. mod. h. t. §. 3.* Accedit, quod ob difficultatem probationis in genere actiones ad interesse jure Germanico non sint in viridi observantia, item quod ipse titulus suppeditet exceptiones, quibus alienatio non præsumitur dolo facta, & quod doli probatio alias sit difficilis. Unde nec ipsa rei vindicatio utilis contra dolo possidere desinentem hodie frequenter occurret.

An ejus usus apud Germanos?

TIT. VIII.

De receptis, qui arbitrium receperunt, ut sententiam dicant.

SUMMARIA.

Cur apud Romanos non potuerit in judicem compromitti?

mitti? An prævaleat sententia arbitrorum minorem summam continens? Difficultas doctrinæ Romanæ de arbitris? An arbitrio simpliciter standum? An usus hujus tituli frequens? An probetur per recessum Imperii?

Cur apud Romanos non potuerit in judicem compromitti?

DIspositio *l. 9. §. 2. h. t.* quod judex ejus rei, de qua judex est, arbitrium non recipere, nec in se compromitti jubere possit, haud dubie in eo fundata est, quod judex pedaneus, de quo ibi sermo est, debebat judicare secundum formulam a Prætore præscriptam, & ne hoc arbitrium tenderet in contemptum Prætoris. Unde MORES nostri sequuntur jus canonicum, quod *c. 5. 7. & 10. X. de arbitris* eam compromissionem permittit. Conf. *Us. mod. §. 4. & 5. hic.*

An prævaleat sententia arbitrorum minorem summam continens?

Si arbitrorum vota sunt paria in condemnando alterutro partium, ratione quantitatis autem dissentiant, communis est sententia, valere tunc arbitrium, quod minorem summam continet, per *l. 27. §. 3. h. t.* Sed falsam hanc esse sententiam, docebit doctrina Grotii citati Schiltero *dict. Exerc. XI.* Igitur ecclipsin judicii ea in re passus est Julianus in dicta *l. 27.* Et quamvis pragmatici cum Schiltero suum Julianum defendant, casus tamen in materia arbitrorum, ob raritatem arbitrorum ipsorum inter rarissimos erit referendus. At in negotiis aliis similibus praxis sententiæ Grotianæ dependet ab habilitate & prudentia eorum, qui directorium gerunt in collegiis.

Difficultas doctrinæ Romanæ de arbitris.

Cæterum multæ sunt difficultates circa quæstiones varias de arbitris, adeoque in exponendo jure Romano Dd. passim sibi contradicere solent; vid. præ reliquis Wissenbach. *in Comment. ad Pand. & Cod. h. t.* cujus

jus causa videtur esse, partim, quod paucitas legum Romanarum non satis distincte exponat mores Romanorum circa compromissa, & ex hac obscuritate Dd. varios sibi conceptus formaverint; partim quod subtilis illa differentia, quam Romani faciebant inter pacta & stipulationem, subinde sit ratio latens & occulta legum quarundam in hac materia, partim denique quod lex Julia nonnulla disposuerit circa materiam arbitrorum, ut patet ex *l. 9. §. 2. l. 41. h. t.* de cujus legis rationibus non adeo constat, & cujus occasione ipsi JCti sæpe conclusiones fecerunt non adeo accurate ubique inferentes, ut in *dict. l. 41.*

Unde etsi nonnulli ex *l. 27. §. 2. ff. h. t.* affirment, hodie etiam standum esse sententiæ arbitrorum, sive æqua sive iniqua sit, nec appellationem nec alia remedia contra eam permitti, *Us. mod. §. 11. h. t;* est tamen praxis communis, vel certe doctrina Dd. pragmaticorum communis in contrarium; neque puto in praxi hodierna quicquam per modum imperii determinandum, cum praxis non dependeat ab arbitrio JCti eximii etsi recte sentientis. *An arbitrio simpliciter standum?*

Quæ modo diximus, facile ostendunt, quod non pauca sub hoc titulo contenta haud quadrent ad MORES Germaniæ; Etsi autem multa hic repetantur, quæ secundum dictamen rationis communis ex ipsa natura rei & principiis juris gentium fluunt, non tamen propterea putandum est, quod arbitrorum in negotiis controversis privatorum frequentissimus usus sit, aut stilo Corasii, quod ex hac materia uberrimi circa practicam fructus enascantur, vid. *Us. mod. §. 1.* Oportet enim lynceos habere oculos, si quis viridem obser- *An usus h. t. frequens?*

vantiam hujus tituli videre velit. Ratio primaria est, quia reorum est fugere. Cum ergo mores nostri hodierni receperint ac retinuerint infernalem & æternum processum juris canonici, stulti forent rei, si compromittentes in arbitrum occasiones fugiendi sibi præscinderent. At apud Romanos processus etiam ordinarii terminabantur communiter intra semestre vel annuum spatium; Ergo ad evitandos sumtus & alias difficultates, sæpius partes in arbitros compromittebant. Erat & alia ratio frequentiæ pristinæ arbitrorum æque quadrans ad mores antiquos Germanos atque ad Romanos, & aliarum gentium, qui judicia sub dio exercebant, & ubi procuratores (ut olim etiam apud Romanos) non facile admittebantur, scilicet pudor, ne causæ virorum honoratorum ventilentur coram plebe, quæ etiam hodie cessat.

An probetur per recessum Imperii?

Non obstat, quod tamen in recessu Imperii *de anno 1594.* §. **als auch der** *Compromiss* **halber** *64. seq.* quid circa compromissa & arbitria observari debeat in Camera, dispositum sit. Nam (1) ea dispositio pertinet ad jus publicum & eas personas, quæ jura austregarum habent *dict.* §. *64.* (2) Ipsæ austregæ, quæ instar arbitriorum sunt, moribus Germaniæ hodie non usurpantur, ut lites finiantur, quæ alias communis intentio arbitriorum est, sed ut cum majori tædio prolixiores fiant. (3) Quatenus illa compromissa usum aliquem practicum præbent, eatenus ille magis ex ipsa dispositione recessuum petendus, quam ex jure Romano v. g. rescissio ejusmodi arbitriorum ob læsionem ultra dimidium. *ibid.* §. *65.* Conf. *Us. mod.* §. *10.*

TIT.

TIT. IX.
Nautæ, caupones & ſtabularii, ut recepta reſtituant.

SUMMARIA.

Quinam caſus ad hoc edictum pertineant? An caupo liberetur per præcedentem proteſtationem? Quid actor in hac actione probet? Hujus actionis ratio apud Romanos. An ea recepta ſit apud Germanos?

Ad hoc edictum non pertinent caſus, ſi ipſe caupo aut ejus domeſtici & operarii furtum commiſerint, aut damnum in rebus receptis dederint, ſed ille ſaltem caſus, ſi hoſpes hoſpiti quid abſtulit, vel damnum dedit. Unde non adeo commode de illa actione quædam leges, ut penultima & ultima, ſunt ſub hoc titulo poſitæ. *Quinam caſus ad hoc edictum pertineant?*

Non teneri exercitorem ad præſtandum damnum ait Ulpianus *l. 7. pr. h.* ſi prædixerit, ut unusquisque vectorum res ſuas ſervet, neque damnum ſe præſtaturum. Quod & applicant ad caupones &c. addita tamen in utroque caſu limitatione, ſi hoſpites conſenſerint prædictioni. Diſtingvendum autem eſt, an prædictio facta ſit ante receptionem in hoſpitio, an poſtea, & ad poſteriorem caſum hæc limitatio referenda. *uſ. mod. § ult.* *An caupo liberetur per præcedentem proteſtationem?*

Non tamen actori in hac actione præciſe probandum eſt, quod hoſpes rem abſtulerit, ſed ſufficit, ſi ſaltem probet, rem ſibi furto ablatam eſſe, aut damnum in ea datum eſſe. Schöpfer. & Struv. *ibid. citatus n. 11.* *Quid actor in hac actione probet?*

Hujus actionis ratio apud Romanos?

Quod rationem & usum hujus Edicti apud Romanos attinet, ait quidem Ulpianus *l. 1. §. 1. h. t.* magnam ejus esse utilitatem; Pomponius tamen in *l. 3. §. 1.* miratur, quare hæc actio inventa sit, cum adsint civiles, locati videlicet & depositi, & respondet id factum esse, partim, ut innotesceret, Prætorem curam gerere reprimendæ improbitatis hominum ejusmodi, partim quia in locato culpa, in deposito dolus duntaxat præstatur, at hoc edicto omnino, qui recepit, tenetur, etiamsi sine culpa ejus res periit vel damnum datum est, nisi quid damno fatali contigit.

An ea recepta sit apud Germanos?

Ergo jam quæritur, utrum hæc actio, cum plane extra ordinem a Prætore Romano propter malitiam nautarum sit inventa, recepta sit in foris Germaniæ. Hic igitur non sufficit asserere, quod nemo dubitet, etiam hodie hoc edictum esse utilissimum, cum necesse non sit in eo probare culpam. Ita enim statum controversiæ mutari, jam monuimus in *historia juris* §. *190.* Nec sufficit dicere, in Germania hic nihil esse mutatum, ob dicta *ibid.* §. *191.* Conf. *Us. mod.* §. *1. & 2. h.* Dn. Schilterus post multam disputationem tandem cogitur *Exerc. XII. th. 25.* fateri veritatem. *Sed quid dissimulemus*, ait, *& hic mores nostros recedere a jure Romano, & diversitatem esse in vulgus notam, apud nos cauponem tunc teneri, si nominatim receperit, si diligentiam promiserit*; wenn ihm die Sachen aufzuheben gegeben worden / wenn durch seine Verwarlosung Schaden entstanden. Unde formula pronunciandi *ibid.* Da nun berührter Wirth / daß ihr solche Sachen zu ihm bracht / und dieselbe bey ihm auch gestohlen worden (solches auch durch seine negligenz oder Verwarlosung geschehen) geständig / oder

oder ihr solches / wie recht / erweisen und darthun köntet rc. Adde, quod caupones nostri ita mali non sint, ut extraordinaria actione adversus ipsos sit opus. Conf. D. Beyerum *ad h. t.*

LIB. V.

TIT. I.

De Judiciis & ubi quisque agere vel conveniri debeat.

SUMMARIA.

Differentia inter judicium ordinarium & summarium obscura. An cœcus possit esse judex? Quæ ætas requiratur in judice? An forum & domicilium originis differant? An absens in foro contractus conveniri possit? Forum deprehensionis quid? An privilegium miserabilium in Germania receptum? An & ratione illustrium? Remediorum L. diffamari & L. si contendat differentia & usus. Litis contestatio quid? L. C. generalis cur introducta? An usus judiciorum Romanorum? Judices & judicia Germanorum antiqua & hodierna. An usus dispositionis juris Rom. de foro competente? It. de actore & reo?

INter divisiones judiciorum occurrit & illa, quod judicium sit vel ordinarium, vel summarium. Sed utinam certa criteria traderentur a doctoribus, ut judicium summarium ab ordinario accurate quis secernere possit, quam enim incerta hic sint omnia, videre est ex traditis in *Usu mod. §. 3.* *Differentia inter judicium ordinarium & summarium obscura.*

Quic-

An cœcus possit esse judex?

Quicquid porro doctores disputent de ratione legum Romanarum, an judex possit esse cœcus, vid. *Us. mod.* §. 7. Schilter. *Exerc. X. th. 23.* sufficit, quod ex veteri formula juris Germanici constitutum esse referat ipse Schilterus *d. l.* ibi contineri diserte, quod judex non debeat esse cœcus.

Quæ ætas requiratur in judice?

Quod ætatem judicis attinet, jure Romano major octodecim annis judex esse poterat *l. 57. de re judic.* Rari sunt hodie casus in Germania, ut illi qui sunt octodecim annorũ, vel de jure respondeant, vel judicent, *Us. mod.* §. 8. Et cum adeo inconveniens sit, ut is, qui ob lubricum ætatis moribus Germaniæ cogitur curatorem habere, sit judex, non mirandum, quod & ubi jurisdictio nobilium patrimonialis est, in ordinando judicio nobilis, qui decimum octavum annum implevit, curator adhibeatur. Adeoque id non fit ex ignorantia facultatis jure communi concessæ, sed ex scientia, quod hac parte jus Romanum in Germania nunquam fuerit receptum.

An forum & domicilium originis differant?

Circa competentiam fori notandum, forum originis & domicilium originis esse res plane diversas, uti ostendi in disp. Lipsiensi *de jure vagabundorum c. 1.* Conf. *Us. mod.* §. 21.

An absens in foro contractus conveniri possit?

In foro contractus etiam absentem posse conveniri, statuunt nonnulli propter *l. 19.* §. *1. ff. h. t.* sed verius est, etiam de jure civili contra absentem ibi non posse institui actionem; & ad textus obstantes responsum in *Us. mod.* §. 21.

Forum deprehensionis quid?

Forum deprehensionis esse inventum Glossatorum, latius ostendit Zieglerus *in Dicastice concl. 15.* §. *35. seq.* ubi *l. 1. C. ubi de crimin.* exponit. Ergo cum per ejus tradita hoc forum non solum diversum sit a foro delicti,

delicti, sed ei oppositum, patet, frustra disputari a Dd. de delicto inchoato & consummato. Vid. Schöpferum *hic n. 23. 24.* Conf. *Us. mod.* § *25 seq.*

De privilegio personarum miserabilium certum est, illud ante introductionem juris Romani in academias Germaniæ fuisse in foris Germaniæ incognitum. Ergo etiam receptio ejus in dubio erit probanda. Cum tamen lex illa Romana singulari æquitate videretur niti, inde in multis locis ex academiis in forum ejus usus introductus est, imo varie a Dd. extensus. Nam de personis illustribus ex illis, quæ Huberus *in Prælect. ff. h. t.* de virginibus notavit, absque joco potest dubitari. Inde etiam est, quod alii Dd. privilegium hoc studiosis dederint. *Us. mod.* §. *31.* Unde non potest non in hac quæstione praxis esse dubia & incerta. Adde Dn. Beyerum *ad h. t. n. 118. seq.*

An privilegium miserabilium in Germania receptum? An & ratione illustrium?

De duobus remediis ex *L. diffamari C. de ingen. manumiss.* & ex *L. si contendat 28. ff. de fidejuss.* quæ alias a practicis confunduntur, distincte agit Svendendörffer *ad process. Fibigii*, ex quo summam proponit D. Beyer *ad h. t. pos. 29. seq.* Patebit vero simul hæc singula distinctius consideranti, praxin Germanorum utramque legem ex prætensa æquitate extendisse ultra casus, de quibus in legibus agitur.

Remediorum L. diffamari & L. si contendat differentia & usus.

Litis contestatio jure Romano etiam ad actorem pertinebat, & olim certis solennitatibus fieri solebat, quas summatim exponit D. Beyer. *ad h. t. post posit. 135.* Unde etiam litis contestationis nomen ortum. Germani hic sequuntur magis jus canonicum, adeoque litis contestatio consistit in responsione ad contenta libelli; De MORIBUS autem circa eam variantibus viden-

Litis contestatio quid? L. C. generalis cur introducta?

dæ insuper ordinationes Camerales, & singulorum Statuum ordinationes provinciales. Cur olim in *Ordinat. Camer. P. III. tit. 13. §. 4.* generalis litis contestatio, quæ negat narrata, prout narrantur, & petita, prout petuntur, fuerit introducta, dicemus suo loco in lectionibus processualibus. Neque enim hic satisfaciunt dicta in *Us. mod. §. 5.* item in *Introd. ad praxin forensem cap. 12. §. 3. cap. 15. §. 2. cap. 17. §. 13.*

An usus judiciorum Romanorum? Quoad USUM doctrinæ Romanæ de judiciis in genere notandum. Cum potestas judiciaria sit regale majestatis, & judicia adeo apud omnes gentes sint in usu, & sic quasi quædam essentialia & substantialia habeant, quæ apud omnes gentes obtinent, eadem etiam æque apud Germanos, quam Romanos frequentabuntur. Forma vero judiciorum Romana tam antiquior, ubi judex differebat a Prætore, jus a judicio, & ubi judicium demum incipiebat a lite contestata, quam Justinianea, haud dubie apud Germanos, fatentibus omnibus, non est in usu. *Us. M. h. t. §. 1. & passim.* D. Beyer *ad h. t. init.*

Judices & judicia Germanorum antiqua & hodierna. Judicia Germanorum quod attinet, eruditam de iis dissertationem Conringii in synopsi exhibet idem D. Beyer *ibid.* De judicibus Germanorum & eorum differentiis latius dixi in *dissertatione peculiari.* Et jam supra monitum est, praxin judiciorum hodiernam derivandam esse ex jure canonico, utpote quod in foris Germaniæ quantum ad rationem procedendi ordinarie sequimur, *Us. mod §. 15.*

An usus dispositionis juris Rom. de Porro quæ jus Romanum de foro competente ex moribus gentium & ratione naturali deducta disponit, qualia sunt pleraque de foro domicilii, rei

sitæ,

sitæ, contractus, delicti, ea apud Germanos etiam *foro compe-* sunt in usu; At forum originis, Romam communem *tente?* patriam &c. ignorat Germania. Contra forum deprehensionis & arresti ignoravit jus Romanum. *Us. mod.* §. *32.*

Eadem dicenda de illis, quæ jus Romanum de *It de actore* actore & reo disponit. Nam, quæ sunt juris gentium *& reo?* v. g. quod nemo invitus cogatur ad agendum, haud dubie apud Germanos in usu sunt. At dispositiones juris civilis Romani ad statum Germanorum non quadrant, v. g. quod servi non habeant personam standi in judicio, quod majores magistratus durante officio non possint conveniri. Conf. Schöpfer *hic n. 39. 40. Us. mod.* §. *33.*

TIT. II.

De inofficioso testamento.

SUMMARIA.

Legitima an juris naturalis? Legitima quid? An detur legitima viventis? An in testamento de peculio castrensi & quasi castrensi relinquenda legitima? An exheredatus vel renuncians hereditati computandus in favorem legitimæ reliquorum? Causæ exheredationis in Nov. 115. quando apud Germanos receptæ? Dissensus Dd. in doctrina de querela nullitatis. In querela inofficiosi cui incumbat probatio? An & cur rescisso testamento non corruant legata? An in testamento fratris inofficioso etiam non corruant? An hæc querela frequentis usus?

CUm testamentum inofficiosum in eo consistat, ut *Legitima an* personæ quibus legitima debetur, rite, sed inique *juris natura-* sint *lis?*

ſint exheredatæ, hinc ea occaſione inquirunt Dd. utrum legitima ſit juris naturalis. Affirmat Gailius *2. Obſ. 122.* aliique; ſed latius oſtendi contrarium in diſp. de legitima viventis *cap. 3. § 23. ſeq.* Conf. B. Stryk. *Uſ. mod. §. 17.* item *de ſucceſſ. ab inteſt. diſſ. 1 c. 1. §. 8.* & *de cautel. teſtam. c. 17. membr. 2. §. 23.*

Legitima quid? An detur legitima viventis?

Eſt autem legitima portio hereditatis, quæ liberis, parentibus, & fratribus germanis ac conſangvineis relinqui debet. Unde quæſtio Dd. diſceptantium, an legitima ſit portio totius hereditatis, an vero portio portionis ab inteſtato debitæ, eſt inanis. Porro cum nulla etiam ſit hereditas viventis, hinc etiam ſequitur, legitimam viventis eſſe parodoxon juris; Cum tamen pragmatici erronea opinione multa de legitima viventis ſcribere ſoleant, examinata ea ac rejecta ſunt *peculiari diſſertatione ante citata.*

An in teſtamento de pec. caſtr. & quaſi caſtrenſi relinquenda legitima?

An filius paganus, qui de peculio caſtrenſi & quaſi caſtrenſi teſtatur, relinquere debeat patri legitimam, negant nonnulli, propter *l. fin. Cod. h. t;* Affirmant alii propter *Nov. 115. c. 4.* Diſſenſum Dd. vide in *Uſ. mod. § 14.*

An exheredatus vel renuncians hereditati computandus in favorem legitimæ reliquorum?

In quæſtione, an filius legitime exheredatus aut renuncians hereditati computandus ſit ad augendam vel minuendam legitimam reliquorum, iterum mirifice diſſentiunt doctores, ita ut hic habeas ſententiam communem contra communem; Ulr. Huberus *in Prælect. ad Pand. de inoff. teſtam. n. 14.* Wiſſenbach. *ad Pand. P. 1. diſp. 17. th. 11.* ubi aſſerit quidem, quod exheredatus non computetur ad legitimam augendam, ibique plures citat, ſed ſimul tamen notat, in quæſtione, an portio fratris exheredati fratri inſtituto debeat accre-

accrescere, an vero hic suam saltem portionem accipiat, etiam secundum ipsos Pandectarum textus decisionem esse dubiam. Berlichius *part. 3. concl. 3. n. 7. usque ad n. 39.* historiam controversiæ de exheredatis, renunciantibus, filiabus non succedentibus &c. an partem faciant ad augendam vel minuendam legitimam præ reliquis plenissime & distinctissime tractat, & in octo diversis casibus mirum Dd. dissensum recenset. Addantur Cardinalis de Luca *de Legitima disc. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 10.* & in summa discursibus subjecta *toto §. 2.* Carolus Antonius Bottilier *de success. ab intest. sororibus per fatr. exist. a success. exclus. Theorem. 15.* Franciscus Censalius *Observ. ad Peregrin. de Fideicom. ad art. 36. p. 225.* & *p. 245. versic: Vigesimo nono observo.* Marcus Antonius Cucchus *de legitima p. 28. n. 11. seq.* Claud. de Battandier *de legitima artic. 4. n. 10. usque ad n. 28.* & innumeri alii ab his iterum citati. Ubi autem quæstiones ita difficiles sunt, & a subtilitatibus juris dependent, ut communis opinio sit contra communem, electio alterutrius sententiæ est in arbitrio judicum, qui quamcunque etiam sententiam eligant, se communi opinione excusare possunt, atque adeo hic valet canon vulgatus: Plus valet favor in judice, quam lex in codice. Eleganter Huberus *d. n. 14: Quam difficile sit contra communem Dd. & præjudicia curiarum, quod veri & meri juris est, obtinere, non ignoramus.* Cucchus *de legitima p. 29. n. 12.* *Est*, inquit, *adeo ambigua hæc quæstio, ut non dubitaverit Decius dicere, judicis arbitrium in alterutram partem absque nota liberum esse & Fulgosius dicit, se valde ambigere, quid consulturus esset: adeo difficilem hanc quæstionem existimat.* Claudius de Battandier *de legitima d. art. 4 n. 10.* quæstionem hanc

vocat *ſpinoſam*, *nodoſam*, *foliis Sibyllæ obſcuriorem*, *dumetis plenam*, *quæ Delio natatore indigeat*, *vaporatam auram*, *pluteum cæſum ac demorſas ungves Cleantheumque laborem expoſcat*. Et nullum eſt dubium, ſi Juſtinianus non correxiſſet doctrinam veterum de quarta legitima, eamque absque ratione forte prægnante non extendiſſet ad portionem hereditatis trientem aut ſemiſſem, nullam occaſionem habuiſſe pragmaticos, tam graviter diſſentiendi in quæſtione præſente *arg.* §. *ult. in fine Inſt. h. t.*

Cauſæ exheredationis in Nov. 115. quando ap. Germanos receptæ?

Uti ad requiſita exheredationis rite factæ pertinet, ut expreſſa ſit cauſa ex iis, quæ *in Nov. 115.* recenſitæ ſunt, ita ſimul notandum, Germanos jam ante receptionem teſtamentorum cauſas illas exheredationis in dicta Novella expreſſas recepiſſe, tanquam privantes ſucceſſione ab inteſtato. Vid. *Jus Provinc. Svevic. c. 253.* quamvis jam tum quasdam cauſas aliter ad mores Germaniæ applicaverint, ut de filio mimos ſequente & hæretico. Conf. quæ diximus in diſſert. *de Noricorum cauſis exheredandi*, it. Schilter. *Exerc. XIV. th. 43.*

Diſſenſus Dd. in doctrina de querela nullitatis.

In doctrina de querela nullitatis conſentio quidem cum iis, qui eam dicunt obtinere eo caſu, ſi exheredatio non ſecundum formam *Nov. 115. cap. 3.* rite facta ſit, querelam autem inofficioſi ad eum caſum reſtringunt, ubi exheredatio inique facta eſt, per ea quæ fuſius adducuntur in *Uſ. mod.* §. 2. Interim tamen & hic eſt ſententia communis contra communem; & hic iterum nullum eſt dubium, Juſtinianum per correctionem juris antiqui in hac Novella iterum mille occaſiones dediſſe pragmaticis, miris modis inter ſe diſſen-

ſentiendi, & communes ſententias contra communes formandi, ut facile patet ex dictis in *Uſ. mod.* §. *3. 6. 7. 8. ſeq. uſque ad 13.*

Uti autem ad iniquam exheredationem pertinet, ſi cauſa a teſtatore adjecta probari nequeat, ita haud dubie probatio incumbit reo, ſive heredi inſtituto. An jure veteri filius probare debuerit, ſe inique exheredatum eſſe, ut aſſeritur in *Uſ. mod.* §. *13.* valde dubito.

In querela inofficioſi cui incumbat probatio?

Porro quod Juſtinianus reſciſſo teſtamento voluerit tamen legata conſervari, per hoc iterum totam intentionem juris antiqui (ut reſciſſo teſtamento per querelam inofficioſi ſuccedatur ab inteſtato, & ut nemini ſuccedatur partim ex teſtamento, partim ab inteſtato) turbavit & interpretibus crucem fixit in quæſtionibus affinibus. Videtur vero hæc turbatio deberi conſiliis Cleri, ne videlicet per querelas inofficioſi corruerent ſimul legata ad pias cauſas, inprimis cum Clerus non raro perſvaderet parentibus, ut liberos exheredarent. Hac ratione ſuppoſita putarem, extendendam eſſe hanc diſpoſitionem Novellæ etiam ad teſtamenta fratrum. Nec video rationem, cur non & noſtri JCti dicere poſſint ex *l. 2. §. 5. in f. de aqu. & aqu. pluv. arcend: Hoc æquitas ſuggerit, etſi jure deficiamur.* Diſſentit *Uſ. mod.* §. *6.*

An & cur reſciſſo teſtamento non corruant legata? An in teſtamento fratris inofficioſo etiam ſubſiſtant?

Cæterum nec olim apud Romanos frequentes fuiſſe querelæ inofficioſi caſus, nec HODIE quoque uſu forenſi eam frequentari, dictum in *Notis ad Inſtit. h. t. p. 193.*

An hæc querela frequentis uſus?

TIT. III.
De hereditatis petitione.

SUMMARIA.

Contra quem inſtituatur || hæc actio? An poſſeſſor edere tenea-

teneatur titulum possessionis? An cumulari possit hereditatis petitio & rei vindicatio? Absens quando præsumatur mortuus? An hujus actionis usus?

Contra quem instituatur hac actio?

HEreditatis petitionem institui contra possessorem, eumque vel verum qui pro herede aut pro possessore possidet, vel fictum, qui possidere desiit, aut liti se obtulit, notissimi juris est. Nescio igitur, cur hoc tanquam speciale quid notari soleat, quod in hac actione conveniatur etiam, qui dolo possidere desiit, cum tamen hereditatis petitio etiam detur contra eum, qui bona fide possidere desiit v. g. si hereditatem vendiderit *l. 2. in f. C. h. t.* Interim vereor, ut in foro frequenter obveniant casus, ubi adversus eum, qui possidere desiit, hereditatis petitio instituatur, quia actiones ad interesse in genere ob difficultatem probandi & prolixitatem processus raro in foro apparent.

An possessor edere teneatur titulum possessionis? An cumulari possit hereditatis petitio & R. V?

Uti autem qui pro possessore possidet, ille est, qui de titulo possessionis suæ interrogatus respondet: possideo, quia possideo *l. 12. & 13. ff. h. t.* ita cum interrogationes in jure moribus cessent, & etiam jure Justinianeo sint sublatæ, non solet in foris Germaniæ reus adigi, ut edat titulum possessionis, nisi postquam de jure petitoris quadantenus constiterit *Us. mod. §. 3.* id est, si actor probaverit suum jus hereditarium, in reprobatione reo permittitur titulum possessionis suæ probare, adeoque tum ipsi liberum est, etiam adducere titulos singulares, qui & tum examinantur, absque institutione novi processus; vel poterit etiam actor cumulare moribus hodiernis hereditatis petitionem & rei

rei vindicationem. Et ita intelligo Wurmserum *lib. 1. tit. 26. observ. 1.*

Cum autem is, qui hereditatem petit, probare debeat mortem ejus, cujus est hereditas, sæpius autem accidere soleat, ut quis per longum tempus absit, nec de ejus morte certa haberi possit scientia, hinc Dd. movent quæstionem, ex quo tempore quis præsumatur esse mortuus? Alii respondent, ante centesimum annum mortem non præsumi, alii vero septuagesimum pro termino ponunt. Vide *Us. mod.* §. 4. *Absens quando præsumatur mortuus?*

Circa USUM forensem hereditatis petitionis observandum. Quatenus ea ex jure hereditario fluit, eatenus poterit haud dubie etiam moribus institui. Interim cum prolixitas processuum hodiernorum sit fere immortalis, & in hereditatis petitione tanquam judicio universali plurimæ quæstiones sint discutiendæ, puta de edendo inventario, fructibus restituendis, impensis examinandis, adeoque actor vix eventum sperare possit, inde multa quidem exempla occurrunt in foro actionis hujus institutæ ob consilia advocatorum, sed pauca exempla poterunt ostendi actionis hujus ad finem perductæ, sed potius partes ad evitanda tædia processus tandem transactionibus controversias tollunt, quod maxime intelligendum de controversiis, quæ demum post sententiam definitivam oriri solent, v. g. de computatione fructuum & impensarum, item si res quædam perierint, ubi etiam Dd. in controversiis juris maxime dissentire solent. *An hujus actionis usus?*

TIT. IV.
Si pars hereditatis petatur.

SUMMARIA.

Contra quem instituatur hæc actio? Quanta portio reservanda partui? An usus hujus doctrinæ?

Contra quem instituatur hæc actio?

ACtio si pars hereditatis petatur, instituitur adversus tertium possessorem, controversiam de jure hereditario moventem. Differt ergo ab actione familiæ herciscundæ, quæ datur adversus coheredes, qui se pro coheredibus agnoscunt.

Quanta portio reservanda partui? An usus hujus doctrinæ?

Quod *l.3.h.t.* attinet, in qua tres partes hereditatis reservantur ventri, quia tergemini nasci possint: quam legem & hodie observandam esse putat. *Us.mod,* §.*2.* rectius quidem eos sentire arbitror, qui unam saltem partem partui adjudicant, cæterum tamen puto totam quæstionem HODIE in praxi nullum habere usum ob prolixitatem processus. Aut enim vidua possidet, tum processus non finietur ante partum editum, ut ante cogi possit, aliquam portionem heredibus edere, aut vidua non possidet, quis tum poterit cogere heredem, ut ante illud breve spatium viduæ portionem hereditatis det.

TIT. V.
De possessoria hereditatis petitione.

TIT. VI.
De fide commissaria hereditatis petitione.

Usus horum titulorum.

CUm hi duo tituli uti & præcedens quartus, contineant species diversas hereditatis petitionis, de horum

horum USU forensi eadem erunt monenda, quæ diximus *ad tit. de hereditatis petitione.* Adde, quoad tit. V. & VI. ea, quæ infra notabimus ad doctrinam de bonorum possessionibus & fideicommissis.

LIB. VI.

TIT. I.

De rei vindicatione.

SUMMARIA.

An rei vindicationis frequens usus? Actio ad exhibendum quid? Pœna mendacii quorsum referenda? Rei vindicatio utilis quid? Rei vindicatio an competat contra eum, qui dolo desiit possidere? Probatio possessionis & nominatio autoris an ad rei vindicationem pertineant?

QVæ in doctrina de rei vindicatione ex natura dominii fluunt, & juris gentium sunt, sunt etiam juris Germanici. In praxi tamen credo vix intra seculum unicum posse ostendi exemplum, ubi rei vindicatio sola fuerit instituta, & ad finem perducta, partim ob difficultatem probandi dominii, conf. *Us. mod.* §. *2. hic;* partim ob tricas circa quæstiones de restituendis fructibus & impensis, ubi repetenda ea, quæ notavimus ad tit. *de heredit. petit.* *An R. V. frequens usus?*

De jure Romano actio ad exhibendum erat præparatoria rei vindicationis. Unde quæ in *l. fin. h. t.* dicuntur de pœna mendacii, partim pertinent ad interrogatorias actiones jam tempore Justiniani sublatas, partim ad actionem ad exhibendum, non ad hunc titulum. Simul vero patet, quod illa pœna mendacii, *Actio ad exhibendum quid? Pœna mendacii quorsum referenda?*

quæ jure Romano ob contemtam majeſtatem Prætoris imponebatur, male applicetur ad mores Germaniæ. Unde facile reſponderi poteſt diſſentientibus, quaſi neſcio quis mendaciorum patronus extiterit, qui primus juri tam aperto & ſaluberrime conſtituto non-uſum opponere auſus fuerit, & quaſi potius revocandæ in forum ſint ſaluberrimæ hæ conſtitutiones. *Uſ. mod.* §. 6.

Rei vindicatio utilis quid? Ipſa rei vindicatio autem utilis etiam appellatur, ſi dominium, quod vindicatur, utile ſaltem eſt, etſi quoad effectus a directa rei vindicatione non differat. Conf. *Uſ. mod.* §. 9.

R. V. an competat contra eum, qui dolo deſiit poſſidere? Quod contra eum, qui dolo deſiit poſſidere, competat rei vindicatio, dixi jam ſupra ad tit. *de alienat. jud. mut. cauſa fact.* quamvis etiam ſatis contorte JCtus in *l. 27. §. 3. h. t.* diſpoſitionem SCti de hereditatis petitione extenderit ad rei vindicationem. Nam in hereditatis petitione juris recepti eſt, pecuniam ſuccedere in locum rei, quod in rei vindicatione non eſt &c. Conf. dicta ad tit. *de hered. petit.*

Probatio poſſeſſionis & nominatio autoris an ad R. V. pertineant? Conſtat etiam, quod de jure Romano non pertinuerit ad officium actoris in rei vindicatione, ut probet, quod reus poſſideat, cum potius jure Romano pertinuerit ad actionem ad exhibendum in vindicatione rerum mobilium. Porro etiam nominatio autoris jure Romano videtur ſolum pertinuiſſe jure Codicis ad actionem ad exhibendum ſuper rebus immobilibus inſtitutam, *l. 2. C. ubi in rem actio.*

TIT. II.

De publiciana in rem actione.

SUMMARIA.

An ceſſet publiciana pro- || pter malam fidem superve-

nien-

nientem? An in casu si duo non domini eandem rem duobus vendiderint & tradiderint? An cumulari possit cum rei vindicatione?

QUanquam de jure civili publiciana non impediatur propter malam fidem supervenientem, ex doctrina tamen juris canonici, bonam fidem perpetuam in materia præscriptionis exigente, putant nonnulli, non admittendam esse actionem publicianam, si actor eo tempore, ubi rem amisit, fuit in mala fide. Sed verius est contrarium. Conf. *Us. mod.* §. 4. *An cesset publiciana propter malam fidem supervenientem?*

Quod casum *l. 9.* §. *4. h. t.* attinet, si duo non domini eandem rem duobus vendiderint & tradiderint, an tunc obtineat publiciana? consentio quidem cum iis, qui eam non admittunt, puto tamen frustra disputari de casu rarissimo, & qui vix intra seculum dabilis est. *An in casu, si duo non domini eandem rem duobus vendiderint & tradiderint?*

HODIE ob compendium probandi hæc actio solet semper jungi cum rei vindicatione, & probationes deinde plerumque diriguntur ad solam publicianam, quod jure Romano non licebat. Ista vero cumulatio solet duobus verbis includi: Wenn denn diese Sache jure dominii vel quasi mir eigenthümlich zustehet. Adde D. Beyer *ad h. t.* Schilter. *Exerc. XVI. th. 66. seq.* Et quotidiana praxis docet, quod sub hoc quasi dominio intelligatur dominium prætorium, non utile. Dissentit *Us. mod.* §. 1. *An cumulari possit cum rei vindicatione?*

TIT. III.

Si ager vectigalis, id est, emphyteuticarius petatur.

SUMMARIA.

An opus fuerit peculiari contractu emphyteutico? An

 emphy-

phyteuta possit renunciare? An doctrina de emphyteusi quadret ad bona censitica & feuda censualia Germanorum? An differant **Zinß-Güter** & **Erbzinß-Güter?**

An opus fuerit peculiari contractu emphyteutico?

CUm contractus emphyteuticarius partim ad locationem, partim ad venditionem referri possit, hinc disquirunt Dd. cur Imperator Zeno novum hunc contractum introduxerit, sed aliam non afferre possunt rationem, quam quod ita Imperatori placuerit. Conf. *Us. mod.* §. *1.* & *2.*

An emphyteuta possit renunciare?

An emphyteuta juri suo iterum renunciare possit, negat cum Struvio Schöpferus *n. 21.* Sed verior videtur sententia affirmans, per ea, quæ disserit Schilterus *Exerc. XVI. th. 88.* Aliud in rusticis, qui simul sunt homines proprii. Hi sua bona censitica invito domino non possunt derelinquere. Et hi forte occasionem dederunt sententiæ negativæ.

An doctrina de emphyteusi quadret ad bona censitica & feuda censualia Germanorum? An differant Zinß-Güter & Erbzinß-Güter.

Agros vectigales & bona emphyteutica ignorasse veteres Germanos in confesso est, Schilter, *Exerc. XVI. th. 83.* In quo constiterit natura agrorum vectigalium, summatim exhibet D. Beyer *ad h. t.* Germani habuerunt bona censitica & feuda censualia **Zinß-Güter und Zinß-Lehen** / quorum natura plane differt a bonis emphyteuticis, ut latius probatum est in Schilteri dissertatione *de bonis laudemialibus* adjuncta ejus Commentario ad jus feudale Alemannicum. Postea ex nimio amore juris Romani doctrina de emphyteusi a doctoribus infelicissime applicata est ad bona censitica Germanorum, & distinctio quæsita inter **Zinß-Güter** & **Erb-Zinß-Güter** / quæ antiquitus plane non differebant. Vid. Dn. Beyer *ibid.* Unde in hac doctrina confusio-

fusiones & contradictiones infinitæ, ut vel ex Franzkii tractatu *de Laudemiis* apparet, & eruditissimus JCtus Zieglerus *ap. Beyerum d. l.* jam ea de re conquestus est, cujus dissertationem lectu dignissimam de bonis censiticis in *positionibus ad h. t.* idem summatim exhibet. Neque Schilterus hac in re satisfacit, sed multa videntur notanda in iis, quæ disserit *Exerc. XVI. th. 83. seq.* Imo quamvis idem *ad jus Feudale Alemannicum* distinctionem inculcet inter bona censitica & feuda censualia *ad capit. 109. & 110.* tamen & de his adhuc videndum ulterius, an ex istis capitibus distinctio probari possit. Usus se potissimum exserit in quæstione de amissione, an scilicet ob non solutum intra triennium censum expelli possit censitus.

LIB. VII.

TIT. I.

De usufructu.

SUMMARIA.

Ex quo fundamento pater habeat usumfructum in bonis adventitiis filii? An ille tollatur morte filii? An etiam matri competat? An marito in paraphernalibus? An usufructuarius capiat thesaurum? Ususfructus apud Germanos quid? Conclusiones inde deductæ. Servitutum personalium origo & exiguus usus apud Romanos? An in usufructu testamentario hodie valeat jus Romanum an Germanicum tam quoad potestatem mutandi, quam quoad cautionem. De usu h. t. in genere remissive.

QUemadmodum ususfructus est vel legalis, vel conventionalis, vel testamentarius, ita ad legalem perti- *Ex quo fundamento pa-*

ter habeat usumfructum in bonis adventitiis filii?

pertinet usufructus patri in bonis adventitiis liberorum competens. Obtinet ille & jure Germanico. Sed quæritur an ex eodem fundamento? Jure Romano patri competit vi patriæ potestatis. Jure Germanico verius est, patris usumfructum esse tutorium. Unde facile responderi potest dissentienti Carpzovio allegato in *Us.mod.* §. *8*. Nam si ex jure patriæ potestatis competeret, retineret etiam pater filium separans usumfructum in parte bonorum adventitiorum secundum §. *2. Inst. per quas pers. cuiqu.* quod tamen Dd. non concedunt, vid. *Us. mod.* §. *13*.

An ille tollatur morte filii? An etiam matri competat?

Ex his iterum sequitur, erroneam esse sententiam Dd. qui putant (1) usumfructum patris in bonis filii adventitiis morte filii non tolli, *Us. mod. dict.* §. *13*. (2) eorum, qui putant, matri non competere hunc usumfructum, vid. D. Schilter. *Exerc. XVII. th. 16. & 19.* quamvis in Saxonia Electorali post *decisionem novissimam 62*, sententiam illam confirmantem, ea de re nullum amplius sit dubium. *Us. mod.* §. *14*. Confer alios pro nostra sententia citatos apud Schöpferum *n. 4*.

An marito in paraphernalibus?

Competit etiam marito usufructus in bonis uxoris paraphernalibus jure scilicet Germanico, qui usufructus iterum tutorius est. Nam jure civili id non receptum. *Us. mod.* §. *15*.

An usufructuarius capiat thesaurum?

Ratione thesauri disponitur in *l. 7.* §. *12. ff. soluto matrim.* quod ille non pertineat ad usufructuarium, nec computetur in fructum, sed pars ejus dimidia restituenda sit, quasi in alieno solo inventi. Limitant id quidem Dd. quod nimirum quoad proprietatem usufructuarius thesaurum non accipiat, bene tamen usuras ex pecunia inventa redactas, vel etiam absque usuris

ris ea uti possit; Verum hanc limitationem non admittit dicta *l. 7. §. 12.* In usufructu Germanico res aliter se habet, quia hic æquipollet dominio utili.

Imo ususfructus Germanicus est revera species dominii utilis, per universam Germaniam, ubi jus Romanum non est receptum, adeoque falluntur ii, qui ad solum jus Saxonicum id restringunt. Inde deducitur conclusio, quod si semen rastro subactum sit, fructus tunc transmittantur ad heredem usufructuarii, Landrecht *lib. 2. art. 58. lib. 3. art. 76.* Schilter *Exerc. XVII. th. 41.* Inde etiam usufructuarius Germanicus faciem fundi mutare, de novo ædificare &c. potest, in quo sita est potissima differentia ususfructus Romani & dominii utilis. Ergo hoc intuitu nullum usum habet quæstio, an usufructuarius consentiente proprietario servitutem fundo imponere possit, quod negat *l. 15. §. fin. b. t. Us. mod. §. 7.* *Ususfructus apud Germanos quid? Conclusiones inde deductæ?*

Quoad originem servitutum personalium apud Romanos dixi *ad Institutiones h. t. p. 156.* eas ortum debere testamentis, quod sic demonstro. Initio etiam in doctrina de usufructu paucissimæ leges, ut *l. 3. pr. l. 6. §. 1. l. 32. de usufructu* agunt de usufructu inter vivos constituto. De testamentario vero pleræque *l. 7. pr. l. 13. pr. l. 18. 19. 20. 21. 27. §. 2. l. 28. 29. 30. 34. 35. 36. 41. 42. 43. 46. 49. usque ad 55. 72. 73. 74. eod.* Quod si enim & ususfructus regulariter & quoad primam originem fuisset inter vivos constitutus promissionibus, non opus fuisset titulis *de usufructu accrescendo, quibus modis dies ususfructus legati cedat, item quibus modis ususfructus amittatur, si ususfructus petatur, usufructuarius quemadmodum caveat;* sed ex ipsis conventionibus & moribus *Servitutum personalium origo & exiguus usus apud Romanos.*

 contra-

contrahendi judicatum fuiſſet de actione, modis uſumfructum extinguendi, & cautione ab uſufructuario præſtanda. Neque SCto opus fuiſſet de conſtituendo quaſi uſufructu; neque diſputationi & diſſidiis JCtorum locus fuiſſet relictus, quid ſub voce habitationis, uſus & operarum ſervilium intelligatur, *l.* 2. §. *1. ſeq. l. 3. ad 9. l. 10. ſeq. de uſu & habitat.* Sed hæc omnia ex legibus contractuum fuiſſent dijudicanda. Neque adeo compilatores Pandectarum in parvo titulo de operis ſervorum reliquiſſent triplicem antinomiam *l. 2. 3. 4. & 5. de op. ſerv.* Et nullus utique oſtendi poteſt caſus, ubi jure Romano quaſi uſusfructus, uſus, habitatio, aut operæ ſervorum fuerint inter vivos conſtitutæ. Etſi enim operæ ſervorum, uſus item & habitatio fuerint locatæ, commodatæ, donatæ &c. tamen ex ejuſmodi conventionibus nullum oritur jus reale, vel ſervitus actionem realem producens. Et cui uſui, conſtituere inter vivos quaſi uſumfructum rerum fungibilium, cum earum jam fuerit mutuum. Et imo veroſimile eſt, etiam uſus, habitationis aut operarum ſervilium legata apud Romanos, poſt illas JCtorum diſſenſiones, vel non ita fuiſſe frequentia, vel ſic circumſcripta fuiſſe, & clarius expoſita, ut ſcrupuloſitati amplius non fuerit locus. Tantum abeſt, ut aliæ ſervitutes perſonales in uſu fuerint. Si enim ultimis voluntatibus tales fuiſſent relictæ, earum in corpore juris fieret mentio. Inter vivos, ut modo de operis, uſu & habitatione diximus, jus ſaltem perſonale fuiſſet conſtitutum. Non dicimus, quod domini non potuerint verbis expreſſis tales ſervitutes fundis imponere. Quis enim talia negaret? Sufficit, quod natura negotiorum humanorum doceat,

doceat, eas non fuisse in usu. Quare ut pomum decerpere, ut cœnare, ut spatiari in alieno liceat, quemadmodum servitus prædiorum constitui non potest *l. 8. de servit.* ita personalis non solet. Æquipollent autem iis, qui de rebus utilibus in jure sunt solliciti, non posse & non solere. Unde quæstiones aliorum ea de re speculativas ut inanes transmittunt, de quibus vid. Saher *in disput. inaugur. de servitute pomum decerpendi, habita Altorfi 1688.*

An in usufructu testamentario hodie valeat jus Romanum, an Germanicum? tam quoad potestatem mutandi,

Ut ad usumfructum revertamur, postquam testamenta in Germania recepta sunt, dubium videtur, si quis usumfructum alteri in testamento relinquat, utrum ususfructus ille jura habeat patrii ususfructus, an Romani? Distingverem formulas legandi. Vel enim legaretur, **das Gut auff Lebenszeit zu nutzen und zu gebrauchen**; aut **der völlige Gebrauch des Hauses/** aut etiam (si forte notarius terminis legulejisticis delectetur) **der Nießbrauch**; & tum secundum jus Romanum res dijudicanda foret in quæstione de potestate mutandi. Vel legaret, **das Gut zum Leibgedinge;** aut **dasselbige nach Belieben und Gefallen zu brauchen**; & tum potestatem mutandi rem ad suum commodum usufructuario datam esse ex dictis sequitur.

Quam quoad cautionem.

Dico autem in quæstione de potestate mutandi. Nam quod cautionem attinet, cum ea inventa sit propter usumfructum testamentarium, & postulatio cautionis habeat æquitatem naturalem, de ea major est dubitandi ratio. Pro jure patrio militat, quod verba in testamentis sint intelligenda secundum mores populi cujusvis; pro jure Romano, quod in materiis te-

ſtamentariis ſequamur jus Romanum, & quod hodie etiam eruditi, multo magis notarii & plebeji, ignorent antiquitates patrias. Unde non mirandum, quod in quæſtione: Utrum vidua nobilis poſt mortem mariti debeat cautionem præſtare reſpectu dotalitii? diſſentiant communiter, affirmante Carpzovio, Weſenbecio, Hartmanno Piſtore, Richtero, negantibus Rauchbaro, Prückmanno, Berlichio, Simone Piſtore, Henelio &c. vid. Schilter. *Exerc. XVII. th. 21, 22.* quæ ſententia verior. Vide infra dicenda *ad tit. uſufruct. quemadm. caveat.*

De uſu h. t. in genere remiſſive.

Cæterum quoad USUM hujus tituli in genere repete dicta *ad Inſtitutiones h. t.* Adde Schilterum *Exerc. XVII. th. 23.* & hic in præcedentibus notata.

TIT. II.

De uſufructu accreſcendo.

An habeat jus accreſcendi, qui partem ſuam amiſit? An hujus quæſtionis uſus?

SPecialis caſus de jure accreſcendi illi competente, qui partem ſuam amiſit, de quo agit *l. 10. de uſufr. accreſc.* quomodo conciliari debeat cum *l. 3. §. Idem Papinianus ff. quib. mod. uſusfr. amittatur*, exponit Schilter *Exerc. XVII. th. 54.* Credo tamen in foro diſpoſitionem *l. 10.* vix intra tria ſecula ſemel occurrere, etiamſi quis caſum formet ſecundum tradita in *Uſ. mod. §. 3.* quamvis ille ſit plane diverſus a caſu *l. 10.* Ergo etiam quæſtio hæc magis ad cathedram, quam ad forum ſpectat, etſi jus Germanicum in cauſis teſtamentariis alias plerumque receperit doctrinas juris Juſtinianei.

TIT.

TIT. III.
Quando dies ususfructus legati cedat.

ET hic titulus agit de usufructu testamentario. Et cum adeo decisio ejus fluat ex natura ususfructus, nullum est dubium, quin eo titulo etiam in foro quis uti possit, etiam intuitu fructuum, si cunctaverit heres adeundo hereditatem. Vid. *Us. mod. hic* §. *1.* Confer Schilter. *Exerc. XVII. th. 26.* *An hujus tituli usus?*

TIT. IV.
Quibus modis ususfructus vel usus amittatur.

SUMMARIA.

Usus h. t. in usufructu testamentario & conventionali. Paternus an amittatur dignitate filii, capitis diminutione, male vel dolose utendo?

CUm pleraque hujus tituli fluant ex natura ususfructus, inde nec MORIBUS Germaniæ repugnant in usufructu legato vel per pacta constituto. *Usus h. t. in usufructu testamentario & conventionali.*

Quod usumfructum patris vel matris attinet, ad illum non omnia applicari poterunt, quæ hic docentur. Ita v. g. doctores disputant, an patris ususfructus in bonis adventitiis filii jure Romano fuerit extinctus, si dignitate quis fuerit liberatus a patria potestate. *Us. mod.* §. *1.* Quid MORIBUS? Conceditur extingui, si separata œconomia utatur filius, *ibid.* Ego puto, id affirmandum esse simpliciter, vel certe regulariter, quia rarissimi erunt casus, ubi separata oeconomia non sit conjuncta cum dignitate liberante a patria potestate. *Paternus an amittatur dignitate filii?*

Capitis diminutione?

De capitis diminutione frustra quæritur, cum ea apud Germanos non sit in usu, per dicta *ad Instit. tit. de cap. min. p. 85.*

Male vel dolose utendo?

Nec male utendo, i. e. mutando faciem rerum perdet pater usumfructum, quia patris Germani ususfructus est species dominii utilis. Quod si dolose utatur & perdat, admitto, patri a magistratu adjungi posse curatorem, sed statim propterea amitti usumfructum, nego. Conf. *Us. mod. §. 6.*

TIT. V.

De usufructu earum rerum, quæ usu consumuntur vel minuuntur.

SUMMARIA.

An in vestimentis festivis verus ususfructus? An quasi ususfructus frequentis usus? An cautio præstanda respectu fungibilium ab uxore usufructuaria? An a marito Saxonico? An uxor quasi usufructuaria præstet casum?

An in vestimentis festivis verus ususfructus?

In usufructu vestimentorum legato distingvunt Dd. inter vestimenta quotidiana & festiva, atque in his verum, in illis quasi usumfructum obtinere dicunt; Hanc distinctionem applicant ad *l. 15. §. 4. de usufructu*, eamque de vero usufructu intelligendam esse, communiter statuunt. Sed eam distinctionem non admittit dicta *l. 15. §. 4.* Vide jam notata ad *§. 2. Inst. de usufr. p. 156.*

An quasi ususfructus frequentis usus?

Cum quasi ususfructus sit inventus a Romanis ad sustinenda testamenta, in quibus ususfructus talium rerum, quæ usu consumuntur, relictus erat, nullum quidem est dubium, quin etiam in Germania post recepta

cepta jura testamentaria hic titulus simul sit receptus, interim tamen negari nequit, Germanos rarissime solere quasi usumfructum in testamentis constituere. Inter vivos non quidem est prohibitum, pactis eum constituere. Sed uti credo, apud Romanos ejus rei exemplum non existere, ita ejusmodi etiam pactum non est ad genium Germanorum, cum vix differat a mutuo. Dicitur equidem in *Us. mod.* §. 5. quod, si casus ille eveniat, plerumque his verbis utamur: **Daß er die Nutzung von meinen aussenstehenden** Capitalien/ **oder von** 2000. **Thlr. haben solle;** sed non ostenditur, quod unquam iste casus evenerit, unde frustra disputatur: an tum cautio sit præstanda, nec ne.

Id tamen nonnunquam evenit, ut maritus uxorem omnium bonorum usufructuariam constituat in testamento. Tum igitur uxor respectu rerum fungibilium ad cautionem a liberis adigi poterit, per dicta in *Us. mod.* §. 2. nisi maritus & hanc cautionem remiserit uxori, per dicta in *Us. mod.* §. 4. *An cautio præstanda respectu fungibilium ab uxore usufructuaria?*

An & maritus Saxonicus, qui usumfructum habet in omnibus bonis uxoris, respectu fungibilium ad cautionem tenebitur? Non arbitror (1) quia est tutorius ususfructus, (2) quia etiam jure Romano cautio hæc non exigitur ordinarie in usufructu a lege constituto *l. 8. C. de bon. quæ lib.* Schöpfer. *ad tit. usufruct. quemadm. cav. n. 5.* Dissentit *Us. mod.* §. 3. *An a marito Saxonico?*

Quid si maritus uxori leget usumfructum ædium cum cella vinaria. Quæsitum hic fuit: an uxor proprietario, vini incendio cum ædibus absumti pretium restituere debeat? Præjudicium est, qualis cautio intuitu vini præstanda sit. Et hujus quæstionis præjudicium *An uxor quasi usufructuaria præstet casum?*

dicium est, an legatum hoc sit simplex, an duplex. Si duplex legatum est, ut puto, intuitu ædium cautio veri, intuitu vini cautio quasiusufructuaria præstanda. Et tum pretium ædium quidem proprietario non restituendum, bene tamen pretium vini. Si unum est legatum, haud dubie legatum ædium pro principali est habendum, adeoque cautio saltem in vero usufructu usitata esset præstanda, & ita vini tanquam rei accessoriæ pretium proprietario non restituendum. Sane, si ex istis fundamentis uxor a restitutione pretii vini non poterit liberari, magis inconveniens est, allegare, quod in quasi usufructu usufructuarius non omnem casum præstet, utpote quæ assertio primis juris principiis evidenter repugnat. Conf. interim dissert. Dn. Bodini *de casu fortuito a quasi usufructuario non præstando*, & *Us. mod. §. 2. in fine.*

TIT. VI.
Si usus fructus petatur, vel ad alium pertinere negetur.

Actio h. t. an in usu?

ACtio de usufructu in testamento aut inter vivos constituto an hodie usum habeat, distingue. Aut enim constitutus est ususfructus Romanus, tunc actio hoc titulo tradita erit quidem instituenda, sed formula tamen certa Romana non erit opus, quia formulæ jam a Constantino sunt sublatæ. Si vero constitutus est ususfructus Germanicus, tunc dabitur ob dominium utile usufructuarii rei vindicatio.

TIT. VII.
De operis servorum.

SUMMARIA.

Antinomia de operis ser- || vorum legatis. An apud

Germa-

Germanos legari possint operæ hominum propriorum, rusticorum & famulorum?

CIrca operas servorum jure Romano quærebatur, an iis legatis censeatur ususfructus, an usus servi, an tertium genus servitutis constitutum esse. Primam sententiam defendisse videtur Gajus *l. 3. & 4. pr. h. t.* Secundam diserte profitentur Terentius & Julianus *l. 5. eod.* Tertiam vero amplexi sunt Papinianus, Paulus & Ulpianus *l. 1. & 2.* junct. *l. 2. & 7. ff. de usu & usufr. leg.* In his antinomiis conciliandis sudant interpretes. *Antinomia de operis servorum legatis.*

MORIBUS Germaniæ verius est, nec usumfructum, nec usum, adeoque nec operas rustici sive sit homo proprius, sive minus, legari posse, cum eæ sine prædiis non debeantur, nec alteri sine prædiis cedi, nec in præstationem pecuniariam converti possint. Conf. D. Beyer *ad Pand. de usufr. posit. penult. & ult.* ut mirer, præter alios, citatos a Schöpfero *hic n. ult.* & in *Us. mod.* §. *1.* etiam Schilterum asserere, hunc titulum commode ad operas hominum propriorum transferri posse. Et falsissima est ratio, quod hac ratione eorum conditio non reddatur deterior. Si enim hæc ratio vera esset, possent etiam cedi operæ rusticorum indeterminatæ, qui non sunt homines proprii, quod tamen negant dissentientes, vid. *Us. mod.* §. *2.* Multo minus igitur cedi poterunt operæ famulorum conducticiorum. Dissentit *Us. mod.* §. *3.* Nam a sublocatione rerum ad sublocationem operarum non valet consequentia. Sed quicquid hujus sit, usu Germanorum non est receptum, ut per testamentum unquam legatæ fuerint operæ servorum. *An ap. Germanos legari possint operæ hominum propriorum, rusticorum & famulorum?*

Q TIT.

TIT. VIII.

De usu & habitatione.

An hic tit. in usu?

QUoad USUM hujus tituli repete dicta *ad Institutiones h.t. p.158.* Confer Schilter. *Exerc. XVII. th.62.* & D. Beyer *ad h. t. posit. 2. & 3.* Et posito etiam, in testamentis Germanorum aliquando usurpari vocem des Gebrauchs / item zu seiner Nothdurfft / non tamen hæc legata tum ex legibus Romanis, sed ex aliis regulis interpretandi erunt exponenda. Conf. *Us. mod. §. 1. 2. 3.*

TIT. IX.

Usufructuarius quemadmodum caveat.

SUMMARIA.

An testator remittere possit cautionem? Maritus an præstet cautionem ratione paraphernalium? Cautio quando hodie requiratur? quando cesset?

An testator remittere possit cautionem?

TEstatorem præstationem cautionis remittere non posse usufructuario, communis est sententia, fundata in *l. 1. C. de usufructu.* Eam tamen generalibus juris principiis non convenire, ipsi Dd. asserunt. Cum enim testator proprietatem rei possit legare, nulla est ratio, cur remissio cautionis ipsi deneganda sit. vid. *Us. mod. §. 4.* Sed forte inconvenientia in eo est, quod Dd. ex casu speciali, de quo dicta lex agit (quod nimirum maritus, cui uxor usumfructum omnium bonorum testamento reliquit & cautionem remisit, nihilominus eam præstare teneatur,) formaverint regulam universalem ad omnes testatores pertinen-

tinentem. Præterea citata lex videtur saltem loqui de cautione quasi usufructuaria, cum expresse dicatur, quod cautio secundum formam SCti, quo nimirum quasi ususfructus introductus est, offerenda sit.

Maritum hodie a præstatione cautionis intuitu paraphernalium immunem esse, nullum est dubium, cum ille ususfructus sit tutorius, ac præterea si ex jure Romano rem decidere velis, in usufructu, qui ex lege debetur, nulla exigi possit cautio, vid. dicta *ad tit. de usufr. ear. rer. quæ usu consum.* *Maritus an præstet cautionem ratione parapher nalium?*

Cæterum quæ hic de cautione in utroque usufructu disponuntur, cum fluant ex natura ususfructus, etsi non sint essentialia, (Schilt. *Ex. XVII. th. 63.*) etiam obtinebunt apud Germanos, quoties constat, testatores aut paciscentes voluisse usumfructum Romanum constituere. Confer dicta *ad tit. de usufructu.* *Cautio quando hodie requiratur?*

Alia est ratio ususfructus Germanici, qui se habet instar dominii utilis. Unde in usufructu tutelari & dotalitio cautio locum non habebit. Schilt. *d. l. th. 21. & 22.* Dissentit *Us. mod.* §. *1.* qui tamen, dum fatetur cautionem hanc in praxi rarius exigi, eo ipso docet, praxin juris Romani apud nos non esse receptam. *Quando cesset?*

LIB. VIII.
TIT. I.
De servitutibus.

SUMMARIA.

Inutiles Romanorum subtilitates in doctrina de servitutibus. An servitus consistere possit in faciendo? Quænam servitutes a Germanis receptæ?

Inutiles Romanorum subtilitates in doctrina de servitutibus.

QUamvis servitutum materia sit maxime practica, propterea tamen non sequitur, quod Germani omnes subtilitates JCtorum Romanorum in doctrina de servitutibus receperint. Occurrere vero tales subtilitates non paucas in jure Romano, etiam aliquando cum ipsis aliorum JCtorum doctrinis parum cohærentes, ex parte jam olim docui in disputatione Lipsiensi *de servitute stillicidii;* Adde D. Beyerum *hic,* & D. Titium *in dissert. de servitute faciendi anno 1710. mense Julio habita.* Ita (1) inutilis subtilitas est, quod servitutes debeant habere perpetuam causam, cui obstat servitus itineris, actus, viæ, pecoris ad aquam appulsus, aquæ haustus, fumi, cloacæ &c. Unde & hodie usu forensi servitus foraminis in imo pariete recte constituitur, contra subtilitatem Pauli *l. 28. de S. P. U.* (2) Inutilis subtilitas est, quod servitutes omnibus fundi partibus inhæreant; (3) quod servitus non possit constitui ad tempus; (4) quod proprietarius, ne quidem consentiente usufructuario, servitutem constituere nequeat; (5) quod servitus solius utilitatis stricte dictæ, non amœnitatis, aut delectationis causa constitui possit; (6) quod servitus non consistere possit in faciendo.

An servitus consistere possit in faciendo?

Quod hanc ultimam subtilitatem attinet, inanis est ratio, quod prædium serviens non possit aliquid facere, altera vero, quod nemo possit tertio jus & obligationem acquirere, si crude accipiatur & secundum subtilitates Romanas, etiam petit principium. Unde videndum hic erit, quid actum sit inter contrahentes. Si enim promittam tibi, quod equis meis omne lignum quotannis advehere velim, quo in prædio tuo

opus

opus habiturus ſis, facile largior, ſolum obligationem perſonalem conſtitutam eſſe, qua non teneatur ſucceſſor meus ſingularis, in tantum, ut dubitem, an ex hac conventione teneatur heres meus. At vero, ſi promiſerim tibi, quod omnes poſſeſſores prædii mei lignum poſſeſſoribus tui prædii advehere debeant, nullam cauſam video, cur ſervitus non debeat eſſe conſtituta. Ita hodie molendina & furni bannales, jus cogendi poſſeſſores alterius prædii, ut ligna advehant in prædii mei utilitatem, aut alias operas eidem præſtent, vel ut cereviſiam a poſſeſſoribus prædii mei emant, haud dubie ſunt ſervitutes in facto conſiſtentes. Dicta vero in *Uſ. mod.* §. *3. 4. & 5.* vel nobiſcum conſentiunt, vel non cohærent.

Quænam ſervitutes a Germanis receptæ.

Quemadmodum autem ex dictis patet, quod hodie habeamus ſervitutes Romanis incognitas, ita vice verſa nec omnes ſervitutes Romanis uſitatas uſu recepimus, ut patebit ex ſequentibus. Nam olim tempore ſpeculi Svevici & Saxonici vix aliæ videntur in uſu fuiſſe præter ſervitutem ſtillicidii & ſimiles, tanquam in magna veterum ædificiorum ſimplicitate, & quia ſervitutes Romanorum, etiam ruſticæ non quadrarent ad ſtatum antiquum Germanorum. Poſtea luxu etiam apud Germanos creſcente in uſum pedetentim venerunt aliæ quædam Romanis uſitatæ.

TIT. II.

De ſervitutibus prædiorum urbanorum.

SUMMARIA.

Cur in ſervitute oneris ferendi ſervienti incumbat refectio?

fectio? An hæc doctrina in usu? Servitus fluminis quid? An servitus non recipiendi fluminis vel stillicidii in usu? An servitus altius tollendi? An servitus luminum? An fenestras aperiens eas teneatur munire vel claudere? An usus servitutis lumina non aperiendi, horreum non habendi, ne prospectui officiatur, item prospectus, foraminis? Servitus cloacæ quid in dubio involvat? An ad eam pertineat cloaca in pariete? An contra ædificantem ex æmulatione competat actio?

Cur in servitute oneris ferendi servienti incumbat refectio? An hæc doctrina in usu?

QUod jure Romano in servitute oneris ferendi dominus prædii servientis parietem vel columnam reficere teneretur, non provenisse ex peculiari natura hujus servitutis, sed ex solenni formula stipulandi tum recepta, probavi in dicta differt. *de servitute stillicidii* §. 59. Interim vel ex hac dispositione juris Romani ostendi posse, quod naturæ servitutis non repugnet, ut dominus prædii servientis aliquid in suo facere cogatur, recte ostendit Dn. Titius *in dict. disputatione.* Cum vero ista refectio pertinuerit ad dominum prædii servientis ob formulam Romanam a Germanis non receptam, patet simul, quod hujus doctrinæ nullus debeat esse usus in foris Germaniæ. Interim cum error pragmaticorum hic jus fecerit, vid. *Us. mod.* §. 2. & 3. prudentius faciet, servitutem hanc alteri constituens, si pacto peculiari sibi caveat, quod fieri posse nullum est dubium. *Us. mod.* §. 2. *in fine.*

Servitus fluminis quid? An servitus non recipiendi fluminis vel stillicidii in usu?

In servitute fluminis per flumen denotatur aqua collecta per canales instar fluminis decurrens, vel etiam aqua pluvia in canali areæ meæ collecta per alterius fundum derivata. *Us. mod.* §. 4. Moribus Romanorum servitutem fluminis vel stillicidii non recipiendi fuisse inco-

incognitam, ostendere vult Schilterus *Exerc. XVIII. th. 18. & seq.* Nos putamus in Germania certe ejus usum rarissimum esse, & *Us. mod.* §. 4. saltem docet usum Amstelodami & in civitatibus maritimis, quales in imperio Romano vel nullæ sunt, vel certæ paucissimæ.

Servitutis altius tollendi, ita ut vicinus id pati cogatur, concipi quidem possunt casus, de quibus vid. *Us. mod.* §. 7. 8. Sed & hi tamen in usu forensi vix occurrunt. Similiter etiam concipi potest casus hujus servitutis, ut vicinus cogatur altius ædificare in mei prædii (ad arcendum ventorum impetum, vel ut præstet umbram) utilitatem, conf. D. Titium *dict. diss.* §. 38. sed & hic tamen casus vix occurret in foro. Et valde miror, cur Carpzovius *P. 2. C. 41. D. 13.* verba sententiæ, quam in fine allegat, non adduxerit. *An servitus altius tollendi?*

Servitute luminum apud Germanos quandoque opus est, etiam in eo casu, ut liceat lumina aperire in pariete nostro, ob statuta videlicet certo modo hanc aperitionem prohibentia. *Us. mod.* §. 9. Cum vero jus nostrum æquitatem sequatur ubivis, verius est, etiamsi statutum expresse de hac re non disponat, quod possim adigere vicinum lumina in suo pariete areæ meæ vicino, aperientem, ut claudat vel muniat, ne inde mihi damnum dari possit, etsi hoc non dicat jus Romanum, quod cur magis nostrum ubique vocetur, quam mores Germaniæ, causam non video. Conf. *Us. mod.* 10. *An servitus luminum? An fenestras aperiens eas teneatur munire vel claudere?*

Servitus lumina non aperiendi a Romanis haud nominata usui quidem esse potest, *Us. mod.* §. 15. sed tamen credo & hanc rarius apparere in foro. *An usus servitutis lumina non aperiendi?*

Idem

Horreum non habendi? Idem dicendum esse arbitror de servitute horreum non habendi in suo, de qua agitur *Us. mod.* §. *16.*

Ne prospectui officiatur, item prospectus? Servitus ne prospectui officiatur, item prospectus, conf. Schöpf. *n. 9.* & *Us. mod.* §. *17.* ad mores nostros etiam non quadrat, non quod iis repugnet, sed quod usu non sit recepta.

Foraminis? Servitus foraminis non infrequentis usus est apud nos etiam, magis tamen in Belgio. Conf. *Us. mod.* §. *18.*

Servitus cloacæ quid in dubio involvat? In servitute cloacæ in dubio urinam & excrementa ejicere non licere, putat Brunnem. *ad l. 7. ff. de servit.* quod concedo, si sola servitus fluminis constituta, **daß der Nachbar das Wasser von meiner Gosse schuldig seyn solle, durch seinen Hoff lauffen zu lassen;** aut etiam, si servitus cloacæ determinata sit constituta: **Daß ich das Spülicht von dem Goßstein in meiner Küche in seinen Hoff kan ablauffen lassen;** non vero si servitus cloacæ simpliciter constituta sit; **Daß er alles unreine Wasser von meiner Gosse auffnehmen solle.** Et quamvis illa etiam confundat Schöpferus *hic n. 13.* nostram tamen distinctionem hic admittendam esse docet locus **der Berlinischen Bau-Ordnung** ap. B. Stryk. *de jure sensuum diss. 5. n. 42.* conf. *Us. mod.* §. *19.*

An ad eam pertineat cloaca in pariete? Quæstio de cloacæ extructione in suo pariete, & quousque vicinus hoc pati teneatur, ad servitutem cloacæ non pertinet. Cloaca enim de cujus servitute agitur in jure, est locus cavus, per quem fluit colluvies. Ista vero cloaca est locus cavus, in quo colligitur colluvies. Conf. *Us. mod.* §. *19.*

An contra ædificantem Porro & principiis juris Germanici, & Romani, & juris naturalis etiam conveniens est, ut liceat vicini lumina,

lumina, qui non habet ſervitutem ne luminibus officiatur, quocunque modo obſcurare, etſi pragmatici limitationem addant, niſi id fiat ad æmulationem. Sed hanc limitationem repugnare rectæ rationi & principiis omnis juris, oſtendi peculiari diſputatione, cui titulus: *Non-ens actionis forenſis contra ædificantem ex æmulatione.* Nec obſtat, quod tamen in ſtatuto Ulmenſi de ea ædificatione expreſſe diſpoſitum ſit, vid. *Uſ. mod.* §. *ult.* Multa enim diſpoſuerunt collectores ſtatutorum, quæ in praxi nullum habent uſum. Et quid ad illam diſpoſitionem reſpondendum ſit, patet ex dictis in *citata diſputatione noſtra* §. 45. Interim non diffitendum, per hos errores pragmaticorum jurisprudentiam noſtram incertam & tantum non utroque pede claudicantem fuiſſe redditam.

ex æmulatione competat actio?

TIT. III.

De ſervitutibus prædiorum ruſticorum.

UTi de aquæ hauſtu, & pecoris ad aquam appulſu olim a JCtis Romanis diſputatum fuit, an plane ad ſervitutes prædiales ſint referendi, an ad jura perſonalia, *l. Mela 14. fin. de alim. leg.* Schilter. *Exerc. XVIII. th. 13;* ita ob diverſitatem prædiorum Romanorum & Germanorum aquæductus, aquæ hauſtus, pecoris ad aquam appulſus rarius hodie in prædiis ruſticis uſu veniunt. Contra frequens eſt apud Germanos, ut aquæ ductus ſit ſervitus prædiorum urbanorum.

Aquæ ductus, aquæ hauſtus, pecoris ad aquam appulſus an ap. Germanos ſint ſervitutes ruſticæ?

TIT. IV.

Communia prædiorum tam urbanorum, quam rusticorum.

SUMMARIA.

An proprietarius in prædio usufructuario possit constituere servitutem? An vicinus item socius possit acquirere servitutem? An in servitutibus requiratur causa perpetua? An servitus totum fundum afficiat? An in præscriptione servitutum rusticarum requiratur tempus immemoriale? An differant in praxi servitutes urbanæ & rusticæ?

An proprietarius in prædio usufructuario possit constituere servitutem?

QVamvis in *l. 15. §. fin. ff. de usufructu* expresse dicatur, proprietarium ne quidem consentiente usufructuario servitutem imponere posse, convenientior tamen est juris principiis sententia contraria. Imo nostris moribus ne quidem usufructuarii consensus requiritur, quoties res non vergit in ejus præjudicium. Vid. autores citatos a Schöpfero *hic n. 4.*

An vicinus item socius possit acquirere servitutem?

Quoad acquisitionem servitutis communis est regula, quod eam nemo possit acquirere, nisi qui sit dominus, adeoque venditor fundi proprii non possit talem servitutem imponere, ut sibi & vicino, aut socio serviat *l. 5. h. t.* Sed & casum hujus legis pertinere ad subtilitates juris Romani, nec hodie eam usu receptam esse, cum moribus etiam liceat alii acquirere, si nostra simul intersit, latius probat Schilterus *Exerc. XVIII. th. 29. usque ad 36.* Consentit *Us. mod. §. 5.*

Inno-

Inconveniens porro est subtilitas Pauli in *l. foramen in imo 28. ff. de servitut. præd. urb.* quod omnes servitutes prædiorum perpetuas causas habere debeant; ut mirer, Schilterum *Exerc. XVIII. th. 13.* eam defendere voluisse, vid. disp. nostr. Lips. *de servitute stillicidii* §. *26. ad 35.* Idem Schilterus *th. 27. 28.* frustra emollire voluit subtilitatem juris Romani, quod servitus totum fundum afficiat, *l. 6. de servit.* Sed vide D. Beyer. *ad tit. de servit. n. 4.*

An in servitutib9 requiratur causa perpetua? An servitus totum fundum afficiat?

Ad communia servitutum pertinet etiam, quod præscriptione acquiri possint; In eo tamen Doctores a dispositione juris Romani abeunt, quod ad præscriptionem rusticarum requirant tempus immemoriale; Doctores illos recenset *Us. mod. ad tit. de servitutibus* §. *6.* Etsi vero addatur, in foro ab hac consvetudine non esse recedendum, cum hæc sit optima legum interpres; cum tamen in §. *7. ibid.* doceatur, contrarium in Saxonia (ex principiis videlicet juris Germanici, disponentis, omnes servitutes triginta annis, anno & die præscribi) item jure Hamburgensi & Prutenico esse receptum, etiam hæc consvetudo tanquam optima legum interpres erit sequenda. Ego mallem errores pragmaticorum plane non ad consuetudinem referre, quam statuere optimas legum interpretes contradictorias.

An in præscriptione servitutum rusticarum requiratur tempus immemoriale.

Quod nulla sit differentia practica inter servitutes urbanas & rusticas, jam docuimus *ad Instit. tit. de servitutibus prædiorum. p. 151. seq.* Quare non opus erit, ut studiosi sudent in disputationibus de definitione prædiorum urbanorum & rusticorum, aut de speciebus servitutum urbanarum vel rusticarum. Reli-

An differant in praxi servitutes urbanæ & rusticæ?

qua hic dicenda jam occupavimus *ad tit. de servitutibus.*

TIT. V.
Si servitus vindicetur, vel ad alium pertinere negetur.

SUMMARIA.

An in confessoria actor probare debeat dominium? Quis in negatoria probet servitutem? An hæ actiones in usu:

An in confessoria actor probare debeat dominium?

EX *l. 16. ff. de except.* colligunt nonnulli, quod actor non sit obligatus ad probandum dominium prædii dominantis, modo sit in possessione, verum id haud dubie ita intelligendum est, si actor agat in possessorio. Cæterum si ipsam actionem confessoriam instituat, etiam dominium probare debet, *arg. d. l. 16.* Nam & dominium in actione negatoria probandum est actori. *Us. mod. §. 4.*

Quis in negatoria probet servitutem?

Quis in actione negatoria probare debeat servitutem, diversimode decidunt Dd; sed eam reo probandam esse, principiis juris convenit, quia omnis servitus ex facto oritur, & negativæ probatio nulla est, nec a libertate personali ad realem valet consequentia. Rem ad oculum monstravit *Us. mod. §. 2.*

An actiones h. t. in usu?

Quoad USUM harum actionum repete dicta *ad libri præcedentis tit. VI.*

TIT. VI.
Quemadmodum servitutes amittantur.

SUMMARIA.

An ratione amissionis differant servitutes urbanæ & rusti-

rusticæ? An amittatur servitus, si modus non observetur? An hic tit. in usu?

INter modos amittendi servitutes est etiam non usus. Hic respectu temporis, quo amittuntur, nulla est differentia inter rusticas & urbanas, *Us. mod.* § 3. ex ratione addita, quia, etiamsi servitutes rusticæ demum immemoriali præscriptione acquirantur, tamen jura liberationibus magis faveant. Ex nostris principiis, quia nec rusticæ aliter acquiruntur, ac urbanæ, vid. *dicta ad tit. IV.* *An ratione amissionis differant servitutes urbanæ & rusticæ?*

Si quis servitute non secundum modum conventionis utatur, non quidem amittit servitutem, non tamen ei conceditur, plus quam pactum est, in servitute habere *l. 11. pr. h. t.* Intellige, nisi & hoc præscriptione acquisiverit *arg. d. l. pr.* *An amittatur servitus, si modus non observetur?*

USUS hujus tituli haud dubie in foro quotidianus est, cum tradita ejus fluant ex natura servitutum. *An h. t. in usu?*

LIB. IX.

TIT. I.

Si quadrupes pauperiem fecisse dicatur.

SUMMARIA.

An culpa cadat in bestias item moderamen inculpatæ tutelæ? Actio de pastu quando locum habeat? An ejus usus? An h. t. in usu? Quid jure Germ. obtineat, si liber homo occisus?

UTti actio h. t. non competit ei, qui propria culpa damnum passus est, ita *l. 1. §. 11. ff. h. t.* id applica- *An culpa cadat in bestias*

tur

it. moderamen inculpatæ tutelæ?

tur ad casum, si arietes vel boves commisissent, isque perisset, qui adgressus erat, tunc cessare ait JCtus actionem. Verum valde claudicat hæc argumentatio, cum in bestias non cadat dolus & culpa. Unde ridendi illi Dd. qui moderamen inculpatæ tutelæ etiam in bestiis observari ex hoc textu probare volunt, & postea sudant in danda ratione *l. Agaso ult. hic.* Dic igitur: rationem utriusque legis quærendam esse in distinctione, an bestia secundum naturam generis nocuerit, an contra, de qua statim in §. *seq.*

Actio de pastu quando locum habeat? An ejus usus?

Si bestia secundum naturam sui generis nocuit, tunc datur actio de pastu, in qua tamen idem petitum est ac in actione si quadrupes, uti tradit Paulus *lib. 1. sentent. tit. 15.* Sed raro instituitur actio, quia videlicet probatio ejus est difficilis. Unde loco ejus apud Germanos recepta est inclusio animalium, conf. Thom. *de noxia animalium cap. 17. n. 4. Us. mod. §. 14. & 15.* it. Gerh. Feltm. *de inclusione animalium.*

An h. t. in usu? Quid jure Germ. obtineat, si liber homo occisus?

Quoad USUM hujus tituli repete dicta *ad Instit. h. t. p. 268.* Si liber homo fuerit occisus, jure Germanico dominus tenetur ad Wergeldum, si bestiam non expulerit, hodie ad pœnam arbitrariam. Vide omnino Schilter. *Exerc. XIX. th. 11.* ubi Wergeldi doctrinam erudite explicat. Ergo etiam in hoc casu de jure Saxonico non tenetur dominus, si bestiam expulerit, Schilter *ibid. th. 31.*

TIT. II.

Ad legem Aquiliam.

SUMMARIA.

An in contractibus etiam || obtineat actio L. Aquiliæ?

An

An in L. Aquilia semper coërceatur culpa levissima? An h. t. in usu? An actio damni dati detur contra furiosos, infantes & heredes? An usus distinctionis in actionem directam, utilem & in factum? An pœnæ inficiationis?

MAgnus veterum JCtorum dissensus est in quæstione: an in contractibus etiam obtineat actio L. Aquiliæ? Inter recentiores B. Strykius *de investig. act. sect. 1. membr. 10.* in puncto juris veriorem putat esse sententiam affirmativam, negativam vero in usu fori prævalere. Conf. *Us. mod.* §. *14.* Mihi vero sententia posterior etiam principiis juris Romani conveniens esse, certo persvadetur, vid. disp. nostr. *de larva legis Aquil.* §. *20.* & fusius dissert. altera *de usu practico doctrinæ de culparum præstatione c. 1.* §. *27. seq.* *An in contractibus etiam obtineat actio L. Aquiliæ?*

Non minor dissensus fuit JCtorum Romanorum in quæstione: an in L. Aquilia semper culpa levissima coërceatur, ut in ead. dissert. *de usu doctrinæ de culpis cap. 1.* §. *31.* probavi. *An in L. Aquilia semper coërceatur culpa levissima?*

De USU tituli repete dicta *ad pr. Inst. h. t. p. 248.* Moribus Germaniæ etiam contra furiosum & infantem dandam esse actionem de damno dato, dictum in disp. *de larva L. Aquil.* §. *62.* item contra heredes damnum dantis §. *58. 59. 60.* quamvis dissentiant citati a Schöpfero *hic n. 11.* quibus *ibidem* respondetur. *An h. t. in usu? An actio damni dati detur contra furiosos, infantes & heredes?*

Distinctionem in actionem directam, utilem & in factum nullum in praxi habere usum fatetur ipse *Us. mod.* §. *6.* item §. *20.* quod usu fori inficiando lis non in duplum crescat, conf. *dict. disp. nostr.* §. *63.* D. Beyer. *ad h. t.* Alia quæstio est, an praxis hæc sit emendanda, ad coërcenda eo melius publica mendacia *An usus distinctionis in actionem directam, utilem & in factum? An pœnæ inficiationis?*

dacia in judicio prolata. Ego non arbitror per dicta superius *ad tit. de R. V.*

TIT. III.

De his qui effuderint vel dejecerint.

SUMMARIA.

Quomodo hæc actio differat ab actione L. Aquil. || *An in usu?* || *An actio de suspensis?*

Quomodo hæc actio differat ab actione L. Aquil?

ACtio hujus tituli in eo differt ab actione L. Aquiliæ, quod actor non debeat probare culpam inhabitatoris, quæ in L. Aquiliæ actione semper probanda est, & quod præterea tendat ad restitutionem damni in duplo, *l. 1. h. t.* cum in altera tantum simplum præstetur, excepto casu inficiationis.

An in usu? An actio de suspensis?

De USU hujus actionis dixi jam *ad §. 1. & 2. Instit. de oblig. quæ quasi ex delicto nasc. p. 452.* Nec opus est dubitare de abrogatione dupli cum *Us. mod.* §. 2. cum quæstio sit de receptione. De non-usu actionis de suspensis consentit *Us. mod.* §. *ult.*

TIT. IV.

De noxalibus actionibus.

An h. t. in usu?

DE USU harum actionum vide *Notas ad Institutiones h. t. p. 267.* Consentit *Us. mod.* §. 3. intuitu hominum propriorum; At intuitu Turcarum captorum putat earum actionum usum esse §. 2. Non tamen credo eas hactenus in foro apparuisse.

LIB. X.

TIT. I.

Finium regundorum.

SUM-

SUMMARIA.

An usus hujus actionis? An distinctionis in personalem & mixtam actionem?

CUm actio finium regundorum, inprimis quatenus jure novo dabatur de omni spatio nec de quinque tantum pedibus *l. 5. C. h. t.* ex ipsissima æquitate naturali fluat, obtinet haud dubie inter Germanos, quamvis apud hos etiam aliis remediis coërciti fuerint turbatores finium, de quibus latius egit D. Schilter. *Exerc. XX.* *An usus hujus actionis?*

Quæstionem: an actio hæc sit mere personalis, an mixta, in praxi non habere usum, fatetur *Us. mod. §. 3.* *An distinctionis in personalem & mixtam actionem?*

TIT. II. & III.

Familiæ herciscundæ. Communi dividundo.

SUMMARIA.

Fundamentum & usus harum actionum. Earum differentia. Qualis læsio attendatur in rescissione divisionis?

NEminem teneri invitum manere in communione, adeoque communes res dividendas esse, ita ut nemo locupletetur cum alterius damno, sunt regulæ juris naturalis, ex quibus fluunt sua sponte actiones & familiæ herciscundæ & communi dividundo. Unde non poterit in foris Germanorum hic differentia a jure Romano occurrere. Quamvis & propter tædium hodierni processus & propter laxum arbitrium judicis in his actionibus, qui res communes dividere volunt, magis ament, sorte aut amicabi- *Fundamentum & usus harum actionum?*

li alio modo id facere. Unde rariora etiam harum actionum exempla sunt in judiciis nostris. Conf. *Us. Mod. ad tit. fam. hercisc.* §. *1. 2. 3.*

Earum differentia. Differunt autem hæ duæ actiones in eo, quod familiæ herciscundæ judicio amplius quam semel agi non possit, at communi dividundo agi adhuc poterit, si quædam res indivisæ relictæ sunt, *l. 20.* §. *4. fam. hercisc.* cujus legis ratio naturalis est; Inconveniens enim est ex jure universali divisionem urgere, si semel hæreditas divisa, & in prima divisione res quædam indivisæ manserint. In praxi tamen exiguum usum habebit, quia nomine actionis in libello non est opus. Conf. *Us. mod. ad tit. Comm. divid.* §. *1.* quamvis dubitem, an formula libelli ibi allata apparuerit frequenter in foro, ut dici possit, quod soleat in hoc casu talis esse formula.

Qualis læsio attendatur in rescissione divisionis. Circa rescissionem divisionis ob læsionem praxis est diversa & incerta, alii enormem, alii enormissimam requirunt, alibi recepta est læsio ultra trientem &c. vid. *Us. mod. tit. fam. hercisc.* §. *8.*

TIT. IV.

Ad exhibendum.

SUMMARIA.

Actio ad exhibendum quid? An in immobilibus obtineat? An regulariter in actione noxali? An hodie in usu? Quando per mandata injungatur exhibitio.

Actio ad exhibendum quid? Actio ad exhibendum ex principiis juris Romani peculiaribus erat actio præparatoria rei vindicationis. Tribonianus tamen pro more aliena multa

multa immiſcet de obligatione exhibendi inſtrumenta, aliaque ex dictamine rectæ rationis deducenda, & propterea eandem vim ubique habentia.

Secundum principia juris Romani etiam in immobilibus ad exhibendum agebatur, unde de hoc caſu exponi debet aſſertio paradoxa doctorum, quod gleba veniat fundi nomine, vide *Programma noſtr. ad diſput. de proteſtatione jus proteſt. non conſervante.* At in praxi, ubi tota actio ad exhibendum ceſſat, ceſſat etiam limitatio Dd. in caſu ſpeciali, ubi etiam in immobilibus ad exhibendum agi poſſit a filio, qui poſt mortem patris ab itinere reverſus agros paternos vindicare velit; Hæc enim limitatio & lege, & ratione, & exemplo deſtituitur. Conf. D. Beyer. *ad h. t. n. 1.* *An in immobilibus obtineat?*

In *l. 3. §. 7. ff. h. t.* eſt quidem caſus, ubi etiam in actione noxali actio ad exhibendum neceſſaria eſſe dicitur. Verum ex ſpeciali hoc caſu non eſt concludendum, quaſi regulariter in noxali actione ad exhibendum agatur. *An regulariter in actione noxali?*

Ipſam actionem ad exhibendum quod attinet, eam plane non convenire cum principiis fori Germanorum, oſtenderunt jam Schilterus *Exerc. XX. th. 91.* D. Beyer. *ad h. t.* Quæ contra afferuntur in *Uſ. mod.* §. *1.* repugnant experientiæ, ubi ſemper cumulatur actio ad exhibendum cum rei vindicatione. *An hodie in uſu?*

In reliquis caſibus ubi non de rebus vindicandis actio inſtituitur, ſed ubi agitur de exhibitione inſtrumentorum, rationum, &c. per mandata hodie injungitur exhibitio. Conf. *Uſ. mod.* §. 4. *Quando per mandata injungatur exhibitio?*

LIB. XI.

TIT. I.

De interrogationibus in jure faciendis & interrogatoriis actionibus.

SUMMARIA.

Quis interrogationum in jure finis? An sint in usu? Negatur contra dissentientes. | *An recte huc referatur doctrina de positionibus?*

Quis interrogationum in jure finis?

FInis interrogationum in jure erat, partim ut prætor sciret, an actio hereditatis petitionis, an rei vindicationis, an familiæ herciscundæ, an ad exhibendum dari deberet, partim ut actori difficultas probandi adimeretur, & ne quid damni plus petendo sentiret. &c.

An sint in usu?

HODIE nullum esse hujus tituli usum ostendit Schilter. *Exerc. XXI. th. 2. 3.* D. Beyer. *ad h. t.* Thomæ *de noxia animal. c. 12. n. 24.* Exempla interrogationum varia antiquitus a Romanis usitata collecta sunt in *Usu moderno* §. *3. 4. 5. 11. 12. 13. 17. 22. seq. usque ad 28.* Quod eæ etiam hodienum in usu sint, sæpius inculcatur *ibid.* §. *6. 10. 14. 16. 18. 19. 21. 29. 30. 31. 32.* Sed hic desidero probationem, cum quotidiana praxis doceat contrarium.

Negatur contra dissentientes.

Cautiones partium inter se de processu sine mora peragendo sub certa pœna, de quibus agitur *Us. mod.* §. *6.* huc non pertinent. Assertio §. *14.* quod actor ante actionem motam, interrogare possit adversarium, an heres sit & an possideat &c. & hic etiam ad respondendum teneatur, petit principium. Ferrarii *Practica* de qua loquitur §. *14.* non est praxis, & sententiæ judicia-

diciales reum ad responsionem adigentes, de quibus ibidem fit mentio, nusquam in foro apparent. De §. *16.* ubi interrogatio in omni casu quo titulus edendus est, permissa esse dicitur, idem monendum, quod jam diximus ad §. *14.* Eadem responsio aptanda ad §. *18.* ubi in rei vidicatione reum super possessione interrogari posse asseritur. In §. *21.* pro probando usu forensi pœnæ mendacii frustra provocatur ad autoritates consulentium & decidentium, utpote quæ ad probandum usum nihil faciunt. Quæ de ordinationibus processualibus Germanicis afferuntur in §. *29.* satis evidenter probant, interrogationes apud nos non esse receptas. Quod vero additur, mutationem non præsumi, inferret aliquid, si leges Romanæ Germanis fuissent latæ. Et cur non liceret etiam de interrogationis in hereditatis petitione usu practico disputare, cum nusquam appareat. Deinde nondum satis probatum est in §. *30.* responsiones, de quibus agit Ordinatio Cameralis, ultra responsiones ad positiones in praxi extendi. Dicta §. *31. seq.* de potestate interrogandi judici competente rursus petunt principium. Nobis sufficit confessio, quod actores in foro *rarius* (nos addimus *nunquam*) interrogationibus utantur. Unde jure inferimus differentiam inter jus Romanum & praxin. Praxis enim res facti est.

Denique inter positiones cum juramento dandorum & respondendorum & interrogationes Romanas intercedit quidem aliqua similitudo, sed nimis remota & dissimilitudo major tam intuitu finis, quam temporis proponendi. Conf. D. Beyer *ad h. t. & us. mod.* §. *39. 40.* *An recte huc referatur doctrina de positionibus?*

TIT. II.

De quibus rebus ad eundem judicem eatur.

An h. t. obtineat? Quid moribus additum?

TOtus titulus ad processum pertinet, & communi æquitate nititur, atque adeo hic jure Canonico, quod est norma hodierni processus, nihil mutatum, nec moribus, nisi quatenus quædam immixta sunt ex principiis Germanis peculiaribus v. g. reconventio Germanica, quæ proprie ad hunc titulum pertinet. Refertur etiam huc ex principiis juris Romani a quibusdam actio ad exhibendum & rei vindicatio, vid. Schöpfer *hic n. 3.* sed vide, quæ jam notavimus *ad tit. ad exhibendum.*

TIT. III.

De servo corrupto.

An h. t. in usu?

DE non-usu huius tituli repete dicta *ad §. 23. Instit. de actionibus p. 261.* Unde facile responderi poterit dissentientibus in *Us. mod.* Inprimis, cum confiteantur *ibid. §. 4.* non agi posse ad duplum, sed agendum esse ad interesse. Sed Resp. (1) Utinam dictum fuisset actum esse. (2) Quomodo interesse probabitur, aut quænam est norma æstimationis illius interesse?

TIT. IV.

De fugitivis.

Hic tit. an in usu?

NUllum esse usum hujus tituli extra dubium est, idque fatetur Schöpfer *ad h. t.* aliique. Confer D. Beyer *ad h. t.* ubi & dispositiones juris Romani de servis fugitivis fusius exponit, & a D. Schiltero

Exerc.

Exerc. XXI. th. 19. usum hujus tituli in requisitione subditorum fugitivorum quærente recte dissentit. Unde facile responderi potest ad dicta in *Us. mod.* Et diserte formula libelli ex Blumio *ibid.* §. 3. adducta pro fundamento agendi non ponit hunc titulum, sed constitutiones Imperii.

TIT. V.
De aleatoribus.

SUMMARIA.

An hæc doctrina in usu? || *An in sponsionibus ex utraque parte requiratur dubietas?*

NUllum esse hujus tituli USUM, consentit *Usus modernus* eo ipso, dum optat, ut praxis hujus tituli introducatur, §. 1. & 3. Forte sufficeret, si modo introduceretur praxis juris veteris Germanici, de quo agitur *ibid* §. 4. *An hæc doctrina in usu?*

Sponsionum requisitum inter alia est bona fides, quod communiter ita explicant, utrumque spondentium debere esse dubium. Sed ista assertio limitationem patitur in casu, si spondentes certent de certitudine & scientia; Tunc enim nullum est dubium, sponsionem valere, etsi unus certo rem sciverit. *An in sponsionibus ex utraque parte requiratur dubietas?*

TIT. VI.
Si mensor falsum modum dixerit.

SUMMARIA.

Cur hic titulus non in usu? || *An loco ejus actio damni dati institui possit?*

CUm omnes fateantur, agri mensores nostros etiam conveniri posse actione locati, etiam ipse Dn. Schilter. *Exerc. XXI. th. 24.* ostendi in disserta- *Cur hic tit. non in usu?*

sertatione *de usu action. pœnal. cap. 3. §. 31.* hujus tituli apud Germanos nullum esse usum. Adde D. Beyer. *ad h. t.*

An loco ejus actio damni dati institui possit?

Quod autem Schöpferus *n. 2.* putat, consultius esse hodie, actione de damno dato uti, id nec principiis Romanæ, nec Germanicæ jurisprudentiæ est conveniens. Non enim agrimensor ipse dat damnum, sed saltem occasio damni est. At in actione de damno dato supponitur, quod reus sit causa physica damni dati. Deinde actio de damno dato locum habet in damno dato citra contractum.

TIT. VII.

De religiosis & sumtibus funerum.

SUMMARIA.

Quid ex hoc tit. obtineat? An dispositio de locis religiosis? Origo actionis funerariæ. An ejus usus? Quid ad impensas funebres requiratur? An ornamenta defuncti? Origo distinctionis sepulturæ in honestam & inhonestam. Mores variantes circa cantiones funebres. An funeralia solvenda Clericis per quorum parochiam funus ducitur?

Quid ex hoc tit. obtineat?

MOrtuos sepeliendos esse, dictat jus gentium, cujus fundamenta exposui *lib. 3. Inst. Jurispr. div. cap. penult.* Mortui illatione alteri damnum non esse dandum, aut si datum sit, resarciendum, jus naturæ dictitat. Ergo hactenus usus hujus rei etiam in Germania est. Ceterum, quæ ex ratione peculiari status Romani & rituum funerandi hic disponuntur, fere in usu apud Germanos non sunt. Adde D. Beyer. *ad h. t.*

Circa

An dispositio de locis religiosis?

Circa locorum religiosorum constitutionem diversos esse mores Germanorum a Romanis, jam supra notavimus *ad tit. de R. D. p. 31.* Unde res ipsa docet, rariorem apud nos hodie esse casum actionis propter mortuum illatum in sepulchrum alienum invito domino.

Origo actionis funerariæ? An ejus usus?

Mirum vero, cur apud Romanos peculiari edicto fuerit opus, ad repetendas impensas funebres, cum jam haberent actionem negotiorum gestorum, sed verosimiliter actioni funerariæ occasionem dedit subtilitas legulejorum, apices formularum captantium, aut quod dubitatum fuerit, an funerans negotium heredis aut defuncti gesserit, vel quid simile, vid. *l. 14. §. 7. & 13. h. t.* unde cum illas subtilitates ignoraverit Germania, non opus etiam habuit speciali actione funeraria, sed suffecit actio negotiorum gestorum.

Quid ad impensas funebres referatur? An ornamenta defuncti?

Quid moribus nostris communiter ad impensas funebres referri soleat, expositum est in *Us. mod. §. 59. usque ad §. 69.* Conf. Schilter. *Exerc. XXI. th. 29. 30.* An inter impensas necessarias etiam referantur ornamenta, quibus defunctus induitur, pro dignitate personarum dijudicandum est. Ceterum hic mos originem debet Papatui. *Us. mod. §. 65.*

Origo distinctionis sepulturæ in honestam & inhonestam.

Distinctio sepulturæ in honestam & inhonestam itidem haud dubie ortum duxit ex Papatu, uti etiam sepultura in civitate & templis. Nec confundenda est sepultura inhonesta cum minus solenni. Vide disp. nostr. *de jure principis circa solennia sepulturæ §. 3. 8. 9. Us. mod. §. 8. usque ad 16.* ubi de pluribus reliquiis Papatus apud Evangelicos; Conf. & D. Gundling. *Observ. select. 6.*

Mores variantes circa cantiones funebres.

Quoad cantiones funebres mores etiam variantes sunt. Cantiones pœnitentiales, quæ quibusdam in locis adhibentur, non semper violenti propricidii aut sepulturæ parum honestæ indicium sunt; sed in genere certis in locis receptum est, ut valde pauperes, qui ordinarie mit einer Viertheil Schule tempore antemeridiano sepeliuntur, nonnisi cantiones pœnitentiales impetrent, tanquam videlicet magni peccatores, qui nihil relinquere potuerunt ad pias causas. Contra memini, alibi receptum esse, ut divites & qui impensas facere possunt ad splendidiorem sepulturam, sepeliantur cum Te Deum laudamus. Conf. *Us. mod.* §. *70.* Utrumque pertinet ad reliquias Papatus.

An funeralia solvenda Clericis, per quorum parochiam funus ducitur?

Clericis, per quorum parochiam cadaver alibi defuncti ducitur, funeralia regulariter non solvuntur. Adspiciendi tamen & hic sunt mores locorum, etsi haud dubie, ubi Clero quid persolvitur, id iterum originem debeat Papatui. Et ita intelligo etiam *Usum mod.* §. *20.* Conf. D. Beyer *ad h. t. n. 31. seq.*

TIT. VIII.

De mortuo inferendo.

SUMMARIA.

An usus interdicti de mortuo inferendo? de sepulchro ædificando? An arrestari possit cadaver? Denunciatio funeris deducendi an juri Rom. cognita?

An usus interdicti de mortuo inferendo?

ETsi Dd. interdictum de mortuo inferendo applicent ad sepulchra familiaria, tamen MORIBUS nostris vel intuitu prohibitionis casus non sunt tam facile dabiles, quam apud Romanos, vel intuitu

proba

probationis, quod mihi jus inferendi competat in casu dubio, res non tam cito poterit expediri propter ambages processus nostri, etiam summariissimi, ut studiosi possint sperare hujus interdicti frequentem usum practicum.

Porro, quod attinet interdictum de sepulchro aedificando *l. 1. §. 5. h.* facile patebit legenti ea, quae Schilterus docet *Exerc. XXI. th. 23.* illi apud Romanos originem dedisse superstitionem gentilium, ejus vero usui hodierno, Papatum, neque hoc sufficienter excusari posse per hymnum Prudentii à Schiltero adductum. *De sepulchro aedificando?*

Denique quod per *Nov. 60. c. 1.* cadaver ob debitum non debeat arrestari, sub pœna tertiæ partis bonorum, haud dubie pœna hæc à Germanis non est recepta, etsi etiam moribus nostris indistincte arrestatio cadaverum non soleat permitti; Conf. Schilt. *Exerc. XXI. th. 31.* Dico, indistincte, nam si cadaver in aliquo loco pro certo locario ad tempus sit depositum, dominum loci abductionem permittere non teneri, nisi pretio soluto, docet Hahnius citatus Schöpfero *n. 5.* *An arrestari possit cadaver?*

Quæ ulterius moribus nostris requiritur denunciatio funeris deducendi per alterius jurisdictionem, eam repugnare principiis jurisprudentiæ Romanæ, ostendit D. Schilter. *dict. Exerc. XXI. §. 31.* *Denunciatio funeris deducendi an juri Rom. cognita?*

LIB. XII.

TIT. I.

De rebus creditis, si certum petatur, & de condictione.

SUMMARIA.

Inutilis divisio contractu- || um in consensuales, reales,

 verba-

verbales & literales, in nominatos & innominatos, bonæ fidei & stricti juris, veros & quasi contractus. Usus distinctionis in substantialia naturalia & accidentalia contractuum. Res fungibilis quid? Quibus casibus versio crediti probanda? Prohibitio contrahendi mutui Romana an in usu? Contractus chirographarius quid? An valeat jurata renunciatio exceptionis non numeratæ pecuniæ? An ea post biennium opponi possit? An in chirographo specialis causa debendi exprimenda? Actio Germanorum ex mutuo.

Inutilis divisio contractuum in consensuales, reales, verbales & literales.

DIvisiones contractuum juris Romani, quas ad hunc titulum communiter explicant, nullius apud Germanos esse usus, dictum in *Notis ad Inst. §. 2. de obligat. p. 210.* Inter eas est divisio in contractus consensuales, reales, verbales & literales. Hodie enim omnes sunt consensuales. Unde & hodie ex pacto de mutuo dando dabitur actio. Consentit *Usus modernus §. 3. & 4. hic*, ubi etiam notetur consensus cum assertione a nobis in præcedentibus sæpius inculcata, quod in quæstione de usu juris Germanici forensi ab eo, qui ad usum juris patrii provocat, non sit probanda abrogatio juris Romani, sed potius ab adversa parte ejus receptio. Ex dictis autem ad *dict. §. 2. Inst. de oblig.* patet, quod etiam contractus chirographarius sua natura sit consensualis, quia videlicet etiam citra chirographum ex promissione viva voce facta æque producitur actio.

Nominatos & innominatos;

Neque etiam usum aliquem habet divisio contractuum in nominatos & innominatos, ut *ad tit. de æstimatoria actione* pluribus dicetur.

Bonæ fidei & stricti juris;

Quod divisionem in contractus bonæ fidei & stricti juris attinet, in earum natura exponenda varie sudant

ſudant interpretes *ad §. 28. Inſt. de actionibus*, quæ ſummatim quoad theoriam facillime ita concipi poteſt, ut dicatur, contractus ſtricti juris fuiſſe, ubi judex pedaneus in actione exinde inſtituta verbis ſimpliciter inhærebat, bonæ fidei, ubi judex ex bono & æquo æſtimare poterat, quid actori reſtituendum ſit. Et quamvis Schilterus *Exerc. XXII. §. 3.* putet, omnes contractus de re incerta eſſe bonæ fidei, de re certa ſtricti juris, atque adeo diſtinctionem illam inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris non eſſe meri juris Quiritium, ſed noſtro quoque foro accommodam; Attamen hæc doctrina diſerte repugnat *pr. Inſt. de verb. oblig.* adeoque quoad uſum forenſem verius eſt, hanc diſtinctionem apud nos ceſſare, conf. dicta a D. Beyero *ad Inſt. de actionibus poſit. 181. ſeq.* & notata a nobis *ad §. 28. Inſt. de action. p. 262.* Imo ipſe Schilterus alibi *Exerc. XXIV. th. 64.* fatetur, diſcrimen inter b. f & ſtricti juris judicia fuiſſe Germanis ignorata ante introductionem juris Juſtinianei, ſed necdum opus eſſe iſta differentia ad praxin fori, quatenus nullum amplius jus Flavianum nos exercet, ſed ductu naturalis aquitatis officium judicis nobile inqualibet cauſa nobis implorare integrum eſt. &c.

De uſu forenſi diſtinctionis in veros & quaſi contractus dictum *ad pr. Inſt. de Oblig. quæ quaſi ex contr. naſc. p. 232.* *Veros & quaſi contractus.*

Diſtinctionis inter ſubſtantialia contractuum, quæ neceſſario adeſſe debent, naturalia, quæ adeſſe ſolent, & accidentalia, quæ adeſſe poſſunt, uſus forenſis eſt maxime ratione quæſtionis, quis probare debeat. In jure Romano erat etiam alius uſus ratione pactorum adjectorum & formularum actionum inde oriunda- *Uſus diſtinct. in ſubſtantialia, naturalia & accidentalia contractuum.*

undarum, qui usus hodie nullus est, postquam pacta quælibet per se producunt actionem, & formulas certas amplius non habemus.

Res fungibilis quid?

Quod contractum mutui attinet, de quo hic agitur, uti in eo transfertur dominium rei fungibilis, ita naturam rerum fungibilium latius exposui in dissertatione peculiari *de pretio affectionis in res fungibiles non cadente.*

Quibus casibus versio crediti probanda?

Doctrinam de probanda versione crediti in utilitatem ejus, qui mutuum accepit, ratione pupillorum, minorum, fœminarum & corporum jure minorum gaudentium, item quando in mutuo filii familias, institoris, socii, & mariti, versio in utilitatem patris, domini, socii, & uxoris probanda, & denique quomodo ipsa versionis probatio peragenda sit, amplissime exponit *Usus modernus hic* §. *16. usque ad finem.* Adde Schilterum *Exerc. XXII. th. 53. seq.*

Prohibitio contrahendi mutui Rom. an in usu?

De jure Romano Præsides provinciarum mutuum dare non poterant *l. 33. ff. h. t.* quod a moribus Germaniæ plane alienum est. *Us. mod.* §. *13.*

Contractus chirographarius quid?

Contractus chirographarius an sit peculiaris contractus, an præsumtum mutuum, dissentiunt Dd; Posterius verum esse arbitror quoad usum forensem, prius de jure Romano. Repete dicta *ad Institutiones de liter. oblig. p. 225.* Adde Huberum *in positionibus ad Instit. h. t.* Schilter. *Exerc. XXII.* §. *16--32.* D. Beyer. *ad Pandectas h. t. p. 244. nov. edit.*

An valeat jurata renunciatio exceptionis N. N. P? An ea

Quoad renunciationem exceptionis non numeratæ pecuniæ iterum dissentiunt Dd. Aliqui simpliciter negant, ei renunciari posse, etiamsi juramentum accedat; alii juramento confirmatam renunciationem validam

validam esse volunt. Posteriores pro sua sententia habent regulam juris Canonici in foro receptam, (an bene, an male, hic non disquiro) quod juramenta, quæ salva salute æterna servari possunt, sint servanda, quæ etiam ad renunciationes exceptionum extenditur. Adeoque non potest non incerta hic esse praxis, uti jam notavi *ad Institutiones de liter. oblig.* Aliqui etiam post biennium adhuc illam exceptionem opponi posse putant, etsi tunc non amplius sit privilegiata, verum ista sententia est contra expressam *l. 14. C. de non num. pec.* & contra principia omnis doctrinæ Romanæ de contractu chirographario. Conf. *Us. mod.* §. *15.*

post biennium opponi possit?

In chirographo porro requirunt, ut specialis causa debendi exprimatur, alias enim instrumentum non habere vim probandi; Verum & hic praxis incerta est & dissentiens. Vide Schilterum *Exerc. XXII. th. 62. seq.*

An in chirographo specialis causa debendi exprimenda?

De actione Germanorum ex mutuo & promisso de mutuo dando repete dicta *ad Instit. quib. mod. re contrahitur obligatio p. 213.* & pluribus dicemus infra *ad tit. commodati.*

Actio Germanorum ex mutuo.

TIT. II.

De jurejurando, sive voluntario, sive necessario, sive judiciali.

SUMMARIA.

Scopus edicti de jurejurando. An voluntarium frequentis usus? An formula jurandi per barbam? An recte cogatur ad jurandum, qui id pro illicito habet? An deferri possit juramentum contra matrimonium? Quando

mors

mors sit loco juramenti? In juramentis obtinet jus Canonicum. Inde fluens inconvenientia.

Scopus edicti de jurejurando.

NOn fuit propositum Prætori in edicto de jurejurando, nec JCtis ad id commentaria scribentibus, naturam juramentorum in universum pertractare, aut multiplicem eorum usum in societate civili exponere, ad aliam enim eamque superiorem jurisprudentiæ partem illa pertinet tractatio. Schilterus *Exerc. XXIII.* §. *1.*

An voluntarium frequentis usus?

Voluntarium juramentum, quod & extrajudiciale appellatur, & ab una parte alteri extra judicium defertur, apud nos vix apparet, vid. dicta *ad* §. *11. Instit. de actionibus* p. 259. Et fatetur etiam *Usus modernus* §. *3. hic*, usum juramenti voluntarii in foro esse rarissimum.

An formula jurandi per barbam?

Si alter alteri deferat juramentum, ut per barbam suam juret, aut aliis ejusmodi formulis utatur, putat valere illud *Us. mod.* §. *5.* Sed hujus formulæ haud dubie usus adhuc rarior est, quam juramenti voluntarii in genere. Et si casus etiam existeret, videndum, an seria hic fuerit voluntas paciscentium, quod vix crederem.

An recte cogatur ad jurandum, qui id pro illicito habet?

Juramentum purgatorium a Dd. vocatur tortura spiritualis, verum hoc non solum, sed omne juramentum in genere sic appellari potest, intuitu eorum, qui ex conscientia, quamvis erronea, putant, juramentum omne Christianis esse interdictum, quales sunt Anabaptistæ. Unde magis hic placet sententia Senatus Hamburgensis, qui loco juramenti ejusmodi homini injuncti formulam aliam inter Anabaptistas maxime religiosam admittebat, quam sententia dissentiens, quæ solennem jurisjurandi

jurandi formulam ab eo exigebat, quarum utraque adducta in *Us. mod.* §. 8. nisi distinctione eum dissensum tollere velis, inter loca, ubi tolerantur Anabaptistæ, & ubi non tolerantur.

In matrimonialibus communiter juramentum admittunt quidem pro matrimonio, non vero contra matrimonium i. e. ut illud dissolvatur. Verum & posteriori casu deferri posse juramentum ostendit, ac præjudicio confirmat *Us. mod.* §. 30. *An deferri possit juramentum contra matrimonium?*

Si is, cui juramentum delatum, ante ejus præstationem moriatur, respiciendum est, an (1) illud acceptaverit, & (2) an post acceptationem justo tempore se ad præstationem obtulerit, morte vero præventus sit; vel (3) an per tergiversationes adversarii præstatio impedita fuerit. Hoc in casu mors loco juramenti est. Adde *Us. mod.* §. 42. ubi variæ conclusiones impertinentes a Dd. ex hac regula deductæ. *Quando mors sit loco juramenti?*

Juramenta lites finire juris gentium est. Modus juramenta deferendi, præstandi &c. a jure civili dependet. Cum igitur sæpius diximus, mores Germanorum in processu sequi jus Canonicum, & insuper Dd. fateantur, etiam jus Canonicum in doctrina de juramentis esse in Germania, etiam protestante, receptum, ac præterea B. Schilterus *Exerc. XXIII.* multas differentias juris Romani & Germanici in hac doctrina notaverit, tutius in hac doctrina studiosi remittuntur ad jus Canonicum & ordinationes processus Cameralis & singulorum statuum. Obiter tamen hic notanda querela Statuum imperii, quod causæ seculares sub prætextu juramentorum ad fora ecclesiastica trahantur, *Gravam.* 64. apud Schilterum *de libert. Eccles. German. l. 7. c. 2. p. 902.* *In juramentis obtinet jus Canonicum. Inde fluens inconvenentia?*

TIT. III.
De in litem jurando.
SVMMARIA.

Juramentum in litem affectionis in quibus rebus locum habeat? In quibus actionibus? Juramentum in litem veritatis an ap. Romanos in usu? Ejus usus apud Germanos, in specie quoad juramentum minorationis? An usus hujus tituli apud Germanos? Ejus confusio.

Juramentum in litem affectionis in quibus rebus locum habeat?

SEcundum communem divisionem juramentum in litem duplex est, aliud affectionis, aliud veritatis. Quoad prius non conveniunt, in quibus rebus locum habeat, sed ostendi perspicue in disputatione *de pretio affectionis in res fungibiles non cadente cap. 3. §. 32. 33. 34.* illud adhiberi in quæstionibus de rebus incorporalibus etiam, non tamen de immobilibus, aut inter mobiles de fungibilibus.

In quibus actionibus?

Ostendi porro §. *17. usque ad 31. ibid.* juramentum hoc jure Romano locum habuisse in omnis generis actionibus, etiam de dolo malo, & quod metus causa, in interdictis, in actionibus in rem, in actionibus in personam, non solum ubi res nostra nobis reddi debuit, sed & ubi dominium rei in nos fuit transferendum, etiam in emtione, etiam in judiciis stricti juris, non tamen in L. Aquilia &c.

Juramentum in litem veritatis an apud Romanos in usu?

Quod juramentum in litem veritatis attinet, probavi *ibid. cap. 3. §. 3. 4. 5. 13. 14. 15. 16.* illud de jure Romano nunquam fuisse usu receptum. Etenim ex legibus hujus tituli apparet, quod in illis casibus, ubi de vero pretio præstando agitur, judex ipse æstimet & actor plane non juret.

Contra

Contra de MORIBUS Germanorum demonstravit perſpicue Schilterus *Exerc. XXIII.* olim omnem litis æſtimationem non actori, ſed reo fuiſſe permiſſam, eamque non ſecundum affectionem, ſed veritatem. Et tale juramentum veritatis haud dubie eſt juramentum minorationis, quod reus præſtat, de quo idem §. *25. ſeq.* oſtendit, quod apud omnes Germanos in uſu fuerit, nec ſaltem obtinuerit in caſu violentiæ, ſed in omni litis æſtimatione. Alia quæſtio eſt, annon utilius ſit introducere in praxin juramentum Zenonianum, præ juramento minorationis; Conf. *Uſ. mod.* §. *13.* Nam, ut ſupra jam monuimus, uſus practicus eſt res facti.

Ejus uſus apud Germanos in ſpecie quoad juramentum minorationis.

Ergo cum titulus præſens toto cælo differat a moribus Germaniæ, & ipſa judicia non poſſint exempla frequentia dare juramenti Romani affectionis in litem, patet, hujus tituli obſervantiam viridem non eſſe in foris Germanorum, niſi quis probet in ſpecie ejus receptionem. Et *Uſ. mod.* etiam §. *2.* dum contra urget, hoc juramentum concedi debere, ne concedatur raptori invito domino rem juſto pretio comparare, magis provocat ad obſervabilitatem, quam ad obſervantiam, ut taceam, non male notare Lauterbachium adductum *ibid.* §. *12.* juramentum Zenonianum magis eſſe juramentum veritatis, & juramenti veritatis uſum frequentiſſimum eſſe, *ibid.* §. *11.* concedi, & tale etiam eſt juramentum, quod præſtat actor, ſi reus edere nolit juratam ſpecificationem, de quo vide *ibid.* §. *4. & 9.* Cum vero multi pragmatici in ſcriptis ſuis voluerint mores patrios ex jure Romano explicare, non potuit non inde magna confuſio doctrinæ oriri, quam ſimul

An uſus hujus tit. apud Germanos? Ejus confuſio.

 expo-

exponit Schilterus *ibidem*. Quanquam & ipsi interpretes juris Romani, si ullum, certe hunc titulum soleant confuse exponere, ut docui in disputatione sæpius citata *cap. 3. §§. prioribus 36*.

TIT. IV.

De condictione causa data, causa non secuta.

Cur hujus tituli nullus usus?

CUm condictio hæc præsupponat differentiam juris Romani inter contractus nominatos & innominatos, quæ jure Germanico non attenditur, inde apud nos non est USUS hujus tituli. Schilter. *Exerc. XXIV. §. 8. Us. mod. §. 1. & 3.* D. Beyer. *h. t. posit. 11.* in tantum, ut nec opus sit eo recurrere in casibus *ibid.* exceptis, v. g. si cessans modus non sit pecunia æstimabilis, (v. g. si arrha, sponsalitia largitas aut dos propter matrimonium data, hoc vero non sequatur) aut si res non detur propter finem, sed ad finem consequendum & postea cessantem (v. g. si procuratori quid datum, ut sportulas exinde solvere possit, res autem postea transactione finiatur). Ut enim taceam, apud Germanos, quoties evidens æquitas postulat, actionem dari, non respici ad formulas actionum Romanarum, sed sufficere Germanis simplicem implorationem officii judicis, ita vereor, ut in illis casibus etiam jure Romano locum habuerit condictio hujus tituli, ut potius eas actiones referrem ad condictionem sine causa. *Us. mod. §. 1. in fine*. Imo in posteriore casu puto etiam ipsam actionem mandati sufficere ad repetendam illam summam mandatario datam.

TIT.

TIT. V.

De condictione ob turpem vel injustam causam.

SUMMARIA.

An turpis & injusta causa unum idemque? Quibus casibus obtineat hæc condictio? An etiam si in bona causa quid dedi, ut pro me judicetur? De turpitudine solius dantis. An frequens tituli usus? Inutilis Dd. cautela.

QUod turpis & injusta causa in effectu unum idemque sint, vide apud Schilterum *Exerc. XXIV. th. 16.* Adde, quæ ex notis ad Strauchium repetii in *novis Scholis ad Huberi Prælectiones h. t. n. 1.* *An turpis & injusta causa unum idemque?*

Obtinet autem hæc condictio illis saltem casibus, ubi solius accipientis turpitudo versatur *l. 4. §. 2.* v. g. si quid tibi dedero, ne injuriam mihi facias, it. ut depositum, instrumentum reddas &c. *Quibus casibus obtineat hæc condictio?*

Si judici pecuniam dedi, ut pro me judicet, etiamsi causa bona sit, cessat hæc condictio per *l. 2. §. 2. hic.* cum judicem corrumpere videar, adeoque & dantis & accipientis turpitudo adsit. Verum alia est ratio judicum pedaneorum apud Romanos, alia magistratuum apud Germanos. Apud Romanos turpe habebatur, judices pedaneos corrumpere, etiam in bona causa. Dissentienti Hubero responsum in *novis Scholiis §. 4.* At intuitu magistratuum hodiernorum ob concussiones tacitas turpitudo est solius accipientis. Vide elegantem textum ex speculo Svevico apud Schilterum *Exerc. XXIV. §. 20.* Deberet ergo tunc utique dari hæc actio. Quod vero non detur, facit partim potentia adversa- *An etiam si in bona causa quid dedi, ut pro me judicetur?*

 rii,

rii, partim persuasio advocatorum, & nova pauperum concussio ex legibus Romanis, quasi ipsi turpiter dederint.

De turpitudine solius dantis.

Turpitudo solius dantis occurrit in casu *l. 4. §. 3.* scilicet si quis meretrici quid dedit; ubi communiter impugnatur ratio Ulpiani, quod meretrix turpiter quidem faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipiat, cum sit meretrix. Unde plura de defensione Ulpiani disserui in notis ad Strauchium repetitis in *novis Scholiis ad Huberum hic.* §. 3.

An frequens tituli usus?

Etsi autem hæc actio summa æquitate nitatur, non tamen est magnus ejus USUS in praxi, quia rari sunt casus, ubi solius accipientis turpitudo versatur. *Usus* vero *modernus* §. *1. hic* producit exemplum, ubi non datur condictio.

Inutilis Dd. cautela.

Unde facile patet, quid sentiendum sit de cautela, quam commendat Schöpfer *n. 2. hic* ex Brunnemanno, ut moroso debitori partem debiti remittam, ut reliquam obtineam, postea vero hac condictione partem remissam repetam. Neque enim dicta cautela fundatur in *l. 2. §. 1. h. t.* quæ de debito pecuniario plane non loquitur, neque multum lucrabitur, qui hac cautela uti volet, propter exceptionem transactionis aut pacti de non petendo. Imo etiam in casibus de depositario commodatario &c. in *l. 2. & 9. hic* occurentibus (qui tamen & ipsi rariores sunt) opera danda foret, ut datio caute instituatur, ne alter eadem exceptione transactionis se tueri possit.

TIT.

TIT. VI.

De condictione indebiti.

SUMMARIA.

An opus distinctione in indebitum absolute tale & secundum quid? item in errorem juris & facti? Quomodo probatio instituatur in hac condictione? An usuræ peti possint? An frequens tituli usus? An in reconventione?

DIvidunt communiter Dd. indebitum in absolute tale & secundum quid, & hoc iterum in naturale tantum & civile tantum; At Germani ignorarunt distinctiones subtiles Romanorum circa debita & indebita, & jure Germanico sufficit esse indebitum. Conf. *Us. mod.* §. *4. hic.* Et supra jam diximus, apud Germanos metu promissum ipso jure nullum esse, & pactum de non petendo apud Germanos tollere obligationem plene. *An opus distinctione in indebitum absolute tale & secundum quid?*

Eadem est ratio distinctionis in errorem juris & facti, qua Dd. rem magis intricant, vide Schilterum *Exerc. XXIV.* §. *32. seq.* Paucis dicendum cum Beyero *ad h. t. posit. 29. seq.* si modo sit indebitum errorem, & juris & facti in hac actione æque non nocere. Conf. *Us. mod.* §. *4 in fine & seqq.* *Item in errorem juris & facti?*

Quoad probationem in hac condictione, dicunt, actorem tam solutionem quam debitum regulariter probare debere, propter *l. 25. ff. de probat.* Sed clarius secundum dictam legem distingvitur, utrum reus negaverit solutionem, tunc actor solum solutionem probat, reus vero debet probare, fuisse debitum; vel reus *Quomodo probatio instituatur in hac condictione?*

solu-

ſolutionem fatetur, tum actor probabit indebitum fuiſſe, niſi ſit pupillus, minor, mulier, miles, agricultor &c.

An uſuræ peti poſſint? Uſuras hodie etiam in indebito peti poſſe, extra dubium eſt, ob ceſſantem differentiam inter contractus bonæ fidei & ſtricti juris, vide *Uſ. mod.* §. 2. Conf. Schilter. *Exerc. XXIV. th. 36. 37. 38.* & ſupra dicta *ad tit. de reb. cred.*

An frequens tituli uſus? Neminem locupletari debere cum alterius damno, & adeo indebite ſolventi dandam eſſe repetitiomen, jus naturale etiam antiquitus Germanis dictavit. Sed præterquam quod rariſſimi ſint hodie, qui ſponte & abſque coactione judiciali ſolvant indebita, adeoque rariſſimi ſint caſus condictionis in praxi, multa habet inſuper condictio indebiti Romana ex ratione Romanis peculiari, quæ aliter ſe habent apud Germanos, ut modò dictum.

An in reconventione? Verum quidem eſt, quod moribus noſtris potiſſimum locum habeat in reconventione Germanica; (conf. Schilter. *d. l.* §. 38.) ſed hæc tamen condictio plane differt a condictione Romana. Nam in reconventione Germanica is, qui ſcit aut putat ſe non debere, coactus ſovit. Ergo hic fruſtra diſputaremus de errore facti vel juris. Deinde quia ſciens & coactus ſolvit, etiam ob hanc cauſam uſuræ erunt adjudicandæ repetenti indebitum, quia ad hunc caſum non poſſunt applicari leges Romanæ diverſum diſponentes, ſed ſolutionem ex errorre factam ſupponentes.

TIT. VII.

De condictione ſine cauſa.

An uſus h. t. ap. Germanos QVia hic titulus præcedentes tanquam genus ſuas ſpecies

species præcipuas sub se comprehendit, de ejus USU nihil peculiariter monendum, nisi quod apud Germanos etiam in casibus hujus tituli peculiaribus fiat magis imploratio officii judicis, quam ut nomen hoc libellum ingrediatur.

LIB. XIII.
TIT. I.
De condictione furtiva.
SUMMARIA.

Origo hujus condictionis. Cui competat? An & commodatario? Cur in foris Germaniæ non occurrat? Ad quid fur teneatur? Consuetudo ut res furtiva judici cedat, an irrationalis?

ETsi condictio furtiva pinguior sit rei vindicatione, contra eum, qui dolo desiit possidere, cum etiam detur contra heredes, & dominium hic non sit probandum, (vide Schilter. *Exerc. XXIV. §. 44. seqq.*) valde tamen verosimile est, eam inventam esse, antequam JCti rei vindicationem extenderent adversus dolo possidere desinentem. *Origo hujus condictionis.*

Competit autem hæc condictio principaliter domino, etsi dominium non probet, quandoque etiam non-domino, si scilicet jus reale in re surrepta habeat, & tunc vocatur condictio incerti; non vero commodatario. Hic enim actionem furti instituit, utpote quæ omnibus, qui non jus reale, sed interesse saltem in re ablata habent, competit. Neque etiam ex *l. f. §. 3. C. de furt.* probatur, quod commodatarius condictionem furtivam habeat, nam dictus textus loquitur de actio- *Cui competat? An & commodatario?*

 ne

ne furti, non de condictione furtiva. Adde *Uſ. mod.* §. 4. & 5.

Cur in foris Germaniæ non occurrat? Quicquid tamen hujus ſit ad MORES Germanorum plane non quadrat hæc actio, partim quia heredes jure Germanico non debent præſtare obligationem defuncti ex furto contractam, per textus utriusque Speculi adductos Schiltero *Exerc. XIX. th. 74.* (& quamvis Dd. putent, in illis locis, ubi jus Romanum receptum, fure ſuſpenſo contra heredes condictionem inſtitui poſſe, illam tamen extenſionem neque jus Romanum admittit, cum Romani pœnam laquei ignoraverint, conf. diſſert. noſtr. *de æquitate cerebrina l. 2. C. de Reſc. vend. cap. 1. in fine lit. rr.*) partim quia fere inanis contra heredes foret actio, per tradita in *Uſ. mod.* §. 7. *p. 5. in fine;* partim quia moribus Germaniæ domino pingvior competit actio, utpote qui hypothecam tacitam habet in omnibus bonis furis, Schilter. *Exerc. XXIV.* §. 49. ubi reſpondet Lauterbachio diſſentienti, & hujus objectionem repetenti *Uſui mod.* §. 9. ut adeo non opus ſit conſilio Schilteri, quod cumulari debeat cum actione hypothecaria condictio furtiva.

Ad quid fur teneatur? Ipſe vero fur haud dubie reſtituere debet rem furtivam, imo jure Svevico, ſi res perierit, debebat duplum æſtimationis reſtitui. Schilter. *dict. Exerc. XXIV.* §. 56. Quid jure Saxonico Electorali obtineat, traditum eſt in *Uſ. mod.* §. 7.

Conſvetudo, ut res furtiva judici cedat, an irrationabilis? De jure Saxonico res furtiva judici cedit, ſi intra annum & diem dominus eam non repetat, Landr. *lib. 2. art. 31.* quæ conſvetudo non confundenda cum alia, qua judex res furto ablatas indiſtincte ſibi aſſignabat, quam conſtitutio criminalis *art. 207. & 218.* improbat

bat & tollit. Non autem in jure Saxonico solum, sed & in Svevico talis dispositio occurrit, *cap. 204.* Adde Schilterum *Exerc. XXIV. §. 54. 55.* Nec hoc irrationabile. Vide disputationem nostram *de Statuum imperii potestate legislatoria contra jus commune §. 39. 40.* Unde facile patet, quid respondendum sit dissentienti *Usui moderno §. 8.* quod in dicto *art. 218. constit. crim.* lege imperii universali, consvetudo illa ut irrationabilis rejecta sit, & Saxones contra eam non fuerint protestati.

TIT. II.
De condictione ex lege.

CUr condictione ex lege apud Romanos fuerit opus, faciebant potissimum pacta nuda legibus specialibus confirmata, qua confirmatione HODIE apud Germanos non est opus, ut nec reliquis condictionum ex lege formulis, cum sufficiat, ex quacunque æquitate, inter quas præcipuæ sunt, quæ legibus expresse sunt determinatæ, implorare officium magistratus. Conf. D. Beyer. *ad h. t. Us. mod. §. 3. in fine.*

Condictio ex lege cur ap. Romanos necessaria? Cur hodie cesset?

TIT. III.
De condictione triticiaria.

SUMMARIA.

Condictio triticiaria an specialis actio? A quo tempore res æstimetur? An ejus usus?

COndictionem triticiariam non fuisse nomen specialis actionis apud Romanos, sed saltem nomen generale, probavi in *notis ad positiones Huberi*, & ab objectionibus Huberi vindicavi in *novis Scholiis*

Condictio triticiaria an specialis actio?

liis ad prælectiones Huberi h. t. Respondi etiam ibidem ad sententiam repetitam in *Uſ. mod. §. 1. in fine.* Unde suavia somnia JCtorum sunt, qui certum edictum Prætorium & certam formulam hujus actionis formarunt apud Schilterum *Exerc. XXIV. th. 58. 59.*

A quo tempore res æstimetur?

Porro circa quæstionem de tempore æstimandæ rei jure Romano maximæ sunt difficultates, per ea, quæ dixi ad Huberum *ad Inſt. quib. mod. re contrah. oblig. poſ. 8.* & *ad hunc tit. poſit. 4. & ſeq.* ad quæ miror nihil responsum fuisse in *Prælectionibus utroque loco.* Nam quæ *ad hunc tit. Pandect.* disserit, multas difficultates relinquunt.

An ejus uſus?

Interim USU Germaniæ istas tricas non magnum habere usum, patet ex iis, quæ docet Schilterus *Exerc. XXIV. §. 62.* Imo idem Schilterus fatetur *§. 58. & 60.* moribus Germaniæ subtilitatibus omnibus, quæ circa hunc titulum occurrunt, non esse opus, & concurrere fere perpetuo petitionem æstimationis cum alia actione.

TIT. IV.

De eo quod certo loco dari oportet.

SUMMARIA.

In quo foro hæc actio instituenda? Cur apud Germanos cesset? An ex legibus notabilibus probetur tituli uſus?

In quo foro hæc actio instituenda?

DIssentiunt Dd. circa quæstionem, an hæc actio in quocunque loco alias fori incompetentis, an vero in foro domicilii instituenda sit. Exponit hunc dissensum Schilterus *Exerc. XXIV. th. 68.* ostenditque sententiam, quod in foro domicilii agi debeat, convenire principiis juris Germanici.

Cur ap. Germanos ceſſet?

Cum vero hæc actio inventa fuerit propter formulas

mulas prætorias, in judiciis stricti juris, intuitu judicis pedanei, & hæ subtilitates apud Germanos nunquam fuerint in usu, patet etiam, apud Germanos nunquam hac actione fuisse opus, adeoque ejus nullum esse usum practicum. Conf. D. Beyer. *ad h. t.* Schilter. *Exerc. XXIV. th. 63. seq.* ubi etiam alias differentias juris Romani a Germanico valde notabiles tradit.

Quod leges sub hoc titulo contentas attinet, quatenus eæ continent æquitatem naturalem, eatenus utique apud Germanos etiam in usu sunt, non ob autoritatem juris Romani, sed ob autoritatem æquitatis naturalis. Conf. *Us. mod. §. 1. in fine.* *An ex legibus notabilibus probetur tituli usus?*

TIT. V.

De constituta pecunia.

DIximus *ad Inst. §. 9. de actionibus p. 259.* nullum hujus tituli esse USUM, cum in debito proprio ex pacto nudo oriatur obligatio, & in debito alieno constitutum coincidat cum fidejussione. Consentit *Us. mod. §. 2. & 7.* *An h. t. in usu?*

TIT. VI.

Commodati, vel contra.

SUMMARIA.

In contractibus beneficis Germanorum beneficium vel præstatur a domino, vel exhibetur domino. A domino vel transfertur dominium vel usus rei gratuitus. Hinc mutuum, commodatum, precarium communes habent regulas. 1) res restituenda est, 2) aliter tamen fungibilis, aliter non fungibilis. Deciditur quæstio de restitu-

 tione

tione monetæ interim mutatæ. 3) Quando restituenda? 4) Si certum tempus adjectum, 5) si ad certum usum concessa. 6) Et culpa & periculum præstandum. Quod limitatur hodie ratione periculi in commodatario. Commodatarius re aliter utens an furtum committat? An res immobilis commodato detur? Explicatur art. 60. lib. 2. Spec. Sax. Difficultas doctrinæ de culpis. Ejus causæ. An hujus doctrinæ usus in foro? Culpa Germanorum unica.

In contractibus beneficis Germ. beneficium vel præstatur a domino, vel exhibetur domino.

Contractus Germanorum commode dividi in beneficos & onerosos, dictum *ad Instit. de oblig. p. 211.* Regulas generales contractuum beneficorum dedimus *ibid. ad tit. quib. mod. re contrah. oblig. p. 212. seq.* Duo vero sunt genera beneficiorum. Vel enim dominus rerum intendit earum concessione gratuita alteri beneficium præstare, aut alter intendit benevolum animum præstare domino intuitu rerum ad eum pertinentium, negotia ejus gerendo, ut fit in deposito.

A domino vel transfertur dominium vel usus rei gratuitus.

Priore casu dominus vel intendit transferre gratis dominium rei suæ, ut fit in donatione, vel saltem usum gratuitum, ex quo Romani tres species conventionum formaverant, mutuum, commodatum, precarium: Germani vero nomen generis retinuerunt, & communi nomine, eine Leihung oder Borgung appellarunt, quia hic est una obligatio, quantum tamen objecti natura permittit. Ita idem est contractus emtionis, sive res fungibilis, sive non fungibilis fuerit vendita, etsi nullum sit dubium, venditorem rei fungibilis satisfacere obligationi suæ, si aliud individuum ejusdem bonitatis, quam quod fuit venditum, emtori det;

det; secus si res non fungibilis fuerit vendita. Ita in concedendo usu rei gratuito etiam res fungibiles sibi ex natura rei non postulabant peculiarem contractum, etsi nullum sit dubium, hic restituendam esse saltem eandem rem in genere.

Hoc supposito, cum jus Germanicum alias differentias Romanis peculiares non attenderit, inde non opus habuit, ex mutuo, commodato, precario, tria distincta negotia facere, sed communes regulas in definitione juris circa illa negotia adhibuit patria. *Hinc mutuum, commodatum, precarium communes habent regulas.*

Sunt vero illæ: I. Quod res utenda debeat restitui; quia in concesso usu gratuito dominus non abdicavit se dominio, neque (morali æstimatione etiam in mutuo, ut adeo forte sententia Salmasii paradoxa facile conciliari possit cum adversariis, si distingvas inter alienationem corporis & quantitatis) alienavit rem, sed saltem concessit usum ad tempus, etiamsi tempus non fuerit expressum. Nam ubi usus rei in perpetuum fuit concessus, nec mutuum, nec commodatum, nec precarium erit, & alter minimum habebit dominium utile. *1. Res restituenda est.*

II. Quod res fungibilis debeat restitui in alio individuo, ejusdem speciei & bonitatis, non fungibilis in eodem individuo & bonitate. Unde fluit simplex decisio quæstionis intricatæ, de restitutione pecuniæ interim quoad valorem aut bonitatem intrinsecam mutatæ, absque distinctione subtilitatum alias consvetarum, supposito, quod, ut communiter fieri solet, in quantum augetur valor monetæ majoris, in tantum diminuta sit bonitas intrinseca monetæ currentis. Hic igitur sic procede. 1) Idem mihi debet restitui, non *2) Aliter tamen fungibilis, aliter non fungibilis. Deciditur quæstio de restitutione monetæ interim mutatæ.*

plus,

plus, nec minus. 2) Pro eodem habetur ab omnibus, si secundum conventionem expressam totidem mihi restituantur corpora monetæ majoris, so viel Stück in specie, quot dedi: etsi tempore contractus & solutionis variaverit æquiparatio monetæ currentis. 3) Quod semel idem est, semper est idem. 4) Ergo idem etiam erit, si in pecunia currente (quando specialiter restitutio specierum promissa non est) tot mihi restituantur nummi, qui æquipollent corporibus totidem in specie solutis.

3. Quando restituenda?

III. Res gratis utenda, si nihil adjectum sit, debet restitui, quandocunque domino placuerit; quia sibi imputare debet alter, quod certum tempus in conventione non determinaverit, & quia nemo invitus cogitur ad dandum beneficium.

4) Si certum tempus adjectum.

IV. Si rei, sive fungibilis, sive non fungibilis, usus concessus est ad certum tempus, ex natura promissi ante lapsum temporis non potest repeti, etiamsi accipiens usum precario rogaverit; (Aliud subtilitate Romana *l. 12. pr. de precario.* Conf. autores citatos Schöpfero *ad tit. de precario n. 4.* sed vide tamen etiam *l. 4. §. 4. cod.* et videntur JCti hic dissensisse.) nisi dominus valde indigeat re sua, ex regula, quod beneficium nemini debeat esse damnosum; *Us. mod. hic* §. *1.* Sed tamen hujus limitationis casus in foro ob varias causas raro apparent.

5) Si ad certum usum concessa.

V. Si res concedatur ad certum usum, sine determinatione temporis (qui casus ad res fungibiles non quadrat) tunc repeti potest eadem res a domino etiam ante finitum usum, nisi contrarium expresse conventum, quia in dubio in contractibus beneficis interpretatio

tatio facienda contra eum, qui beneficium accepit. Unde hic iterum nulla eſt differentia inter precarium & commodatum, ſecus ac jure Romano. Unde v. g. ſi libri uſum conceſſerim tibi ad conficiendam diſputationem, potero repetere, ſi ipſe eo opus habeam. Modo aliæ circumſtæntiæ non ſvadeant contrarium, ut ſi fulcris tuis ædes meæ ſint fulcitæ, ſi in medio itinere equum, cujus uſum ad hoc iter conceſſeras, mihi velis auferre.

6) Et culpa & periculum præſtandum.

VI. Si res, cujus uſus gratuitus alteri conceſſus eſt, pereat, aut deterior reddatur, non ſolum culpam commiſſam hic præſtabit is, cui beneficium factum, ſed & plane periculum ad ipſum pertinebit, idque ex ratione plane naturali, ſi modo res alias non eodem modo apud me peritura fuiſſet, cum ſcilicet beneficium nemini debeat eſſe damnoſum. Adde Pufendorff. *de J. N. & G. Lib. 5. c. 4. §. 6.* Idque obſervatum fuit apud Hebræos, *Exod. XXII. 14. ſeqq. ibique* Clericus *in Commentario*; Scotos, Schilter *Exerc. XXV.* §. *17.* & Germanos, Schilter §. *14. 15. 16.*

Quod limitatur hodie ratione periculi in commodatario.

Interim hodie hæc doctrina juris patrii de periculo a commodatario præſtando negligitur, niſi commodatarius rem commodatam ad alium uſum, quam de quo conventum, uſurpaverit. Carpz. *P. 2. C. 26. d. 7.* Schilter. §. *19.* At quoad præſtationem omnis culpæ obſervatur adhuc apud Germanos, quod nulla hic ſit diſtinctio inter precarium & commodatum, partim quia hodienum, ut ſtatim dicemus, diſtinctio culparum Romana uſu non eſt recepta, partim, quia quod jure Romano in precario præſtabatur ſaltem culpa lata, ex ſubtilitate provenit, quod obligatio ex precario

ad prætorias referatur Dn. Coccejus *Collat. 2. de culp. præstat.* §. 25. Nam ratio Ulpiani in *l. 8.* §. *6. de precario* recte rejicitur a D. Beyero *ad tit. de precario.*

Commodatarius re aliter utens an furtum committat?

Porro jure Romano si commodatarius re aliter uteretur, quam ei concessum fuerit a domino, furtum committebat, §. *6. Inst. de oblig. quæ ex del.* Aliud jure Germanico, Landr. *lib. 3. art. 22.* Schilter. *Exerc. XXV.* §. *5.*

An res immobilis commodato detur?

Ulterius moribus Germaniæ rarissime fit, ut res immobilis commodato detur, & si fiat, non vocatur commodatum. Man sagt nimmer: Ich habe ihm ein Hauß geliehen / sondern: eingeräumet auff Wiederruff oder Bittweise. Conf. Schilterum *ibid.* §. *2.* In dubio tamen & talis conventio magis habebit naturam precarii quam commodati Romani, intuitu repetitionis.

Explicatur art. 60. lib. 2. Spec. Sax.

Addendum & hoc. Etsi Schilterus recte probaverit *ibid.* §. *4. seqq.* dominium ad commodatarium non transire in Germania, verius tamen est, si quis considerat accurate textum juris Saxonici *lib. 2. art. 60.* (ubi non legitur mit jenes Willen / sed mit Willen) jure Germanico utroque rem commodatario ablatam, aut ab hoc vel a creditore & depositario alienatam, domino ita perire, ut saltem commodatarium ejusque heredes ob fidem habitam possit convenire, secus ac Schilterus opinatur, dictum textum contorte exponens de pacto adjecto. Nec tamen propterea iniquum est jus Germanicum. Conf. D. Beyerum *ad h. t.* §. *8. & 9.*

Difficultas doctrinæ de culpis.

Doctrina de culparum divisione, quæ ad hunc titulum explicari solet, in jure Romano intricatissima est, partim ob varios terminos a JCtis Romanis adhibitos,

bitos, culpæ, culpæ latæ, latioris, magnæ, levis, levissimæ, negligentiæ, diligentiæ, periculi, casus &c. & diversimode usurpatos, partim ob variantes sententias eorum, quænam culpa in singulis contractibus sit præstanda. Communem sententiam interpretum exposuit D. Ludovici *ad h. t. §. 13. seqq.* (Adde Schöpferum *n. 19. seq.*) quæ tamen infinitas difficultates habet. Struvius in *Exercitationibus ad Pandectas* & in *Decisionibus Sabbathinis* ad eas evitandas supposuit: culpam levem & levissimam unam eandemque esse, adeoque in omnibus contractibus, ubi alii dicunt, culpam levem præstandam esse, alios de culpa levissima loqui. Sed ostendit, ut puto, illustris Coccejus *in dissertationibus contra Struvium editis*, hoc præsuppositum repugnare textibus, aliaque via textus obstantes conciliare aggressus est.

Ejus causæ.

Causa omnium illarum difficultatum & dissensionum fuit, 1) quod frustra tentetur conciliatio dissentientium JCtorum, 2) quod frustra tentetur, rem infinitam velle certis & exactis regulis includere, atque adeo 3) si quis talia tentet, non possit non dissensus multiplicari.

An hujus doctrinæ usus in foro? Culpa Germanorum unica.

Ceterum quicquid sit de sententia JCtorum Romanorum, certo persvasus sum, illam distinctionem culparum in praxi forensi nullum habere USUM. Nam (1) ut jam de commodato vidimus, & infra suo loco de pignore, deposito, precario, (de quibus maximæ difficultates sunt in jure Romano) videbimus, jus Germanicum in his contractibus satis perspicue definivit, quid præstari debeat, diversum plane a dispositione juris Romani, (2) Jus Germanicum unam saltem

culpam agnovit, quæ adeo comprehendit dolum, culpam latam & levem Romanorum in abſtracto, ad exactiſſimam vero aliquam diligentiam patrisfamilias ſecundum ideas Platonicas neminem adſtrinxerunt. Et hoc innuit phraſis in legibus Germanicis: Wenn es ohne ſeine Schuld geſchehen. Quod culpam in concreto attinet, videntur per textus a Schiltero *hic* §. 15. adductos requiſiviſſe, ut in omni contractu, ſive commodati, ſive pignoris, ſive depoſiti &c. res aliena cum majori cura cuſtodiatur, quam propria. Cum tamen infinitæ ſint circumſtantiæ & negotiorum & damni dati, ut vix in genere poſſit definiri, 1. an aliquod damnum culpa factum fuerit, & hoc dubio non ſublato, 2. fruſtra quæratur, an ſit culpa lata, levis, an leviſſima; apud Germanos æque ac apud Romanos ſemper in foro determinatio dependet ab arbitrio judicum. Unde 3. etiamſi hodie a JCtis Romanum jus amantibus regulæ Romanorum eſſent receptæ, in praxi tamen, & earum applicatione res ſemper manebit incerta. Nam v. g. judex, qui ipſe eſt negligens, in caſibus obvenientibus facillime judicabit, reum vel culpam plane non commiſiſſe, vel ſaltem culpam eſſe leviſſimam, ubi alter judex diligentior judicabit, omnino ſubeſſe culpam, vel etiam culpam non ita levem eſſe, ſed potius latam. Denique 4. in nullis judiciis Germaniæ poterunt acta proferri, ubi bis vel ter per integrum ſeculum diſtinctiones Romanorum JCtorum, quomodocunque etiam explicentur, aliquem inſignem uſum præbuerint. 5. Si vera etiam eſſet cautela, quam aliqui ſuppeditant, ut is, cui damnum ab altero, qui ex contractu ipſi obligatus eſt, datum eſt, non agat ex

con-

contractu, ſed ex L. Aquilia, quæ videlicet omnem culpam coërceat, vid. Schöpfer *ad hunc tit. n. 17.* periret ſane omnis diſputatio de gradibus culparum. Atque hæc ſingula latius demonſtravi in diſſertatione *de uſu practico doctrinæ juris Romani de culparum præſtatione in contractibus.* Conf. *Uſ. mod. h. t. §. ult.*

TIT. VII.

De pignoratitia actione, vel contra.

SUMMARIA.

Pignus juris gentium. Securitas creditoris in quo conſiſtat? Fiducia Romanorum. Pignus Juſtinaneum. Antichreſis tacita an fundetur in jure Romano. Pignus Germanicum. Confuſio ex mixtura pignoris Germ. & Romani probatur exemplo de præſtatione culpæ & caſus. Actio pignoratitia an præſcribatur? An detur contra tertium?

PIgnus ſecundum principia juris gentium inventum eſſe in ſecuritatem creditoris, & adeo eſſe acceſſorium contractum inprimis mutui, oſtendi peculiari diſputatione *de uſu practico diſtinctionis inter emtionem cum pacto de retrovendendo & contractum pignoratitium cap 2.* *Pignus juris gentium.*

Ulterius autem *ibidem* deduxi, ſecuritatem creditoris conſiſtere (1) in poſſeſſione pignoris, (2) ut pignus valeat ultra quantitatem debitam, (3) ut æſtimatio pignoris fiat ſecundum tempus, quo datur, (4) & quanti vendi poſſit pretio communi, (5) ut pignus habeat pretium durabile; (6) In rebus ſterilibus ſufficere rei cuſtodiam; (7) in non ſterilibus ulterius requiri, *Securitas creditoris in quo conſiſtat?*

quiri, ut fructuum perceptio relinquatur creditori, idque præſumi, nec opus eſſe pacto antichreſeos, imo creditorem non eſſe obſtrictum ad reddendas rationes, ubi ſimul reſponſum fuit dubiis ex arcanis politicæ papalis deſumtis. (8) Si certum tempus ad reluitionem ſit determinatum, finito illo tempore rem oppignoratam in commiſſum cadere; atque adeo eam poſtea vendi poſſe a creditore ſine reſtitutione pretii ſuperantis, pendente vero tempore, etiam vendi poſſe jus creditoris in pignore. (9) In quæſtione de impenſis a creditore in pignus factis rem ex aliis principiis quam Romanis eſſe determinandam.

Fiducia Romanorum. Deinde docui, quid olim fiducia fuerit apud Romanos, & in contractu fiduciæ dominium non ſtatim tranſiiſſe ad creditorem; hanc vero fiduciam a Conſtantino M. eſſe ſublatam, & a Juſtiniano ex corpore juris expunctam.

Pignus Juſtinianeum. Porro monſtravi, pignus Juſtinianeum in quibusdam convenire cum pignore juris gentium, in multis differre. Rationes harum differentiarum intuitu juris Juſtinianei eſſe magis ſubtiles quam ſolidas, præcipue, quod illæ differentiæ omnes eludi potuerint, per venditionem cum pacto de retrovendendo.

Antichreſis tacita an fundetur in jure Romano? Antichreſin tacitam, quam ex *l. 8. ff. in quibus cauſis pignus tacite contrah.* formant Dd. *Uſ. mod. hic* §. 4. principiis juris Romani deſtitui, & neceſſe eſſe, textum hic emendari cum Hotomano, dixi *ibid.* §. 85.

Pignus Germanicum. Denique oſtendi, pignus Germanicum cum pignore juris gentium plane conveniſſe, & adeo a pignore Juſtinianeo fuiſſe diverſiſſimum, neque confundendum eſſe cum fiducia Romanorum.

Ex

Ex hactenus dictis autem patet, quantæ confusiones & dissensiones ortæ fuerint in foro, dum pragmatici naturam pignoris Germanici voluerunt exponere ex principiis juris Romani. Sufficiat hoc loco saltem exemplum de præstatione culpæ. Jure Germanico, si culpa creditoris res perierit, creditor debet solvere pretium aut interesse. Si casu perierit, liberatur quidem a præstatione interesse, sed tamen amittit debitum. Schilter. *Exerc. XXVI. §. 6.* Quod primum attinet, putat quidem §. 7. quoad usum fori creditorem non amplius ita stricte obligari, ut olim, sed tamen credo, facile mores hodiernos conciliari posse cum jure Romano, si quis expendat dicta de usu distinctionis culparum *ad tit. præced.* Conf. disputat. *de usu practico doctrinæ de culpis c. 1. §. 23.* Quod vero alterum de casu attinet, moribus hodiernis id plerumque est abrogatum. Schilter. *dict. §. 6.* Et quidem sub prætextu evidentis iniquitatis, cum res pereat suo domino, at debitorem esse dominum pignoris, non creditorem, vid. *Us. mod. §. 10.* quæ ratio prodit ignorantiam juris patrii, cum jure Germanico semper in pignore translatum fuerit dominium utile temporarium ad creditorem, ut facile patet ex præcedentibus.

Confusio ex mixtura pignoris Germ. & Romani probatur exemplo de præstatione culpæ & casus.

Actionem pignoratitiam ante solutionem debiti non præscribi, ostendit *Us. mod. §. 12.* ratio evidens est, cum ante solutum debitum hæc actio nondum nata sit. Unde res eodem recidit, quando alii distinguunt, inter jus offerendi seu solvendi debitum & jus repetendi pignus soluto debito, ut Schilterus *Exerc. XXVI. §. 13.*

Actio pignoratitia an præscribatur?

Quod hæc actio contra tertium possessorem instituі

An detur contra tertium?

tui non possit, de jure civili planum est *l. 27. & l. 40. h. t.* ex jure canonico tamen eam debitori competere communiter asserunt, quamvis & alia eidem supersint remedia. Vid. *Us. mod. §. 11.*

LIB. XIV.

TIT. I.

De exercitoria actione.

SUMMARIA.

Cur hæc actio non in usu? An in praxi maritima obtineat? An ejus usus sperandus? Æquitas sententiæ quod plures exercitores teneantur pro rata. Bodmeria quid?

Cur hæc actio non in usu?

DE non-usu hujus tituli jam dictum *ad Institutiones §. 2. quod cum eo qui in al. potest. est. p. 265.* Et cum *Usus modernus §. 19. in fine* agnoscat, subtilitatem juris Romani, quod alteri per alterum non possit acquiri obligatio, apud Germanos non observari, in tantum, ut hodie contra tradita juris Romani exercitor per magistri contractum acquirat jus agendi absque cessione, necesse etiam est, ut apud Germanos non opus sit actione exercitoria, quia apud Germanos nunquam recepta fuit subtilitas juris Romani, quod indistincte nemo per alterius liberi hominis factum possit obligari, inprimis cum jure novo Justinianeo etiam scil. *§. ult. quod cum eo &c.* illud inventum Prætoris, seu illa actio exercitoria, hoc titulo exposita, nullum habuerit usum. Conf. Schilter. *Exerc. XXVII. §. 40.*

An in praxi maritima obtineat?

Miror adeo nimium amorem juris Romani, omnem curam intendentem, ut usus hujus tituli saltem quocunque modo ad praxin maritimam deduci possit,

Us.

Us. mod. §. *3.* cum tamen in confesso sit, in legibus maritimis nullam mentionem fieri actionis exercitoriæ, quia videlicet illo tempore Germani leges Romanas ignoraverunt. Imo etiamsi jus civile in aliis causis jam innotuerit, nauticarum tamen legum conditores magis ad praxin legum maritimarum respexerunt, & receptos navigantium mores, quam ad leges Romanas, imo ne quidem mentionem fecerunt regressus ex facto magistri ad exercitorem, nec etiam regressus hic quadrat ad rationem legum maritimarum. *Us. mod.* §. *12.*

Magis tamen adhuc mirandum, quod post hanc confessionem Dd. non dubitent, pro usu hujus tituli hodierno annotare, saltem hodie huic actioni locum esse debere, si rejectis moribus patriis introducantur mores Romani, & solatium in eo quærant, quod de praxi hujus actionis non dubitaverit Marquardus, & quod non negaverit, praxin illius actionis superesse, etiamsi juris nautici peritissimus. *Us. mod.* §. *13.* *An ejus usus sperandus?*

Facilius etiam excuso magnum Grotium, dispositionem juris Romani, jubentis, ex pluribus exercitoribus singulos teneri in solidum, injustitiæ accusantem, etiamsi forte ex amore erga jus patrium hic hallucinatus fuerit; quam Germanos, ex nimio amore erga jus peregrinum, accusantes mores Germanorum contrarios sub illo prætextu, quod absterrerentur homines a contrahendo cum magistro navis, si pro unius facto in tot debitores se distringi viderent, si scilicet singuli exercitores pro rata saltem teneantur, *Us. mod.* §. *16.* cum tamen praxis quotidiana negotiationum maritimarum debuisset ostendere metum hunc non *Æquitas sententiæ, quod plures exercitores teneantur pro rata.*

cadere in virum constantem, id est, vere Germanum.

Bodmeria quid? De Bodmeria, quid sit, & quid tam ratione dantium quam accipientium tale mutuum, observandum sit, ex instituto egit D. Beyer. *ad h. t.*

TIT. II.

De lege Rhodia de jactu.

SUMMARIA.

Erronea opinio de origine L. Rhodiæ & juris Wisbycensis. An hic titulus in usu? An opus speciali actione contra vectores? An hic titulus recte extendatur ad casum incendii? Scriptores huc pertinentes.

Erronea opinio de origine L. Rhodiæ & juris Wisbycensis. ANtiquitatem & autoritatem juris Wisbycensis, quod in causis ad rem nauticam spectantibus pro jure communi habetur, exposuit Conring. *de origine juris German. c. 19. circa finem.* Nolui credere, doctum esse a magno JCto, legem Rhodiam conditam esse ab equitibus Rhodensibus. Jam talia non miror amplius, cum videam scriptum esse, quod hoc jus nauticum translatum fuerit ad civitatem Wisbycensem, postquam videlicet insula Rhodus a Turcis anno 1522. occupata esset; atque adeo ex eo tempore celebrari cœpisse jus nauticum Wisbycense. *Us. mod.* §. *1.* Atque adeo operam dent studiosi juris studio historiarum, & literis humanioribus, cum præsens seculum non amplius admiretur solam legum Romanarum notitiam, memoriæ magis, quam judicio inhærentem.

An hic tit. in usu? Cum ergo non solum legibus Wisbycensium tanquam communi jure gentium utantur omnes oceani ac-

ni accolæ, sed & ex statutis civitatum Hanseaticarum definiantur controversiæ ad hunc titulum pertinentes, hæc autem maximam partem, præter repetitionem quarundam legum Rhodiensium, collectæ sint ex legibus Wisbycensibus aliisque regum ordinationibus, & tam in æstimatione rerum amissarum ac servatarum, quam in contributione a vectoribus facienda aliisque capitibus multis abeant a dispositione legis Rhodiæ, non video, quomodo ex dictis possit inferri conclusio, quod nullum dubium sit, titulum nostrum ob singularem æquitatem hodie esse in viridi observantia. *Us. mod.* §. 1. Potius commendandum studioso juris, ut in talibus controversiis evolvat statim statuta Hanseatica, Hamburgensia & similia; Si tempus supersit, tum demum consulere poterit convenientiam aut disconvenientiam juris Germanici & Rhodii.

Itaque jure Germanorum non opus est, ut de genere actionis simus solliciti, quæ scilicet damnum passo contra reliquos vectores competat, cum jure Hanseatico contributio ratione mercium servatarum statim fieri debeat in portu & extra judicium. Schilter. *Exerc. XXVII.* §. 25. *An opus speciali actione contra vectores.*

Extenditur etiam hujus tituli dispositio ad alios casus v. g. si domus diruatur, ne ortum incendium latius grassetur, item si tempore belli suburbia destruantur; sed cum interpretes privata autoritate sua jus condere nequeant, in causis incendiorum & belli ante omnia ad jura municipalia & consuetudines regionis & loci erit attendendum. Schilter. *Exerc. XXVII. th. 29.* Adde *Us. mod.* §. 12. *An hic tit. recte extendatur ad casum incendii, belli &c.*

Ceterum uti varia ad illustranda jura maritima edita *Scriptores huc pertinentes.*

edita ſunt ſcripta, ita inprimis huc referri ſolet Quintini Weizii tractatus von *Avereyen*, qui e belgica in latinam linguam translatus *cum notis Simonis a Leeuwen & Matthæi de Vicq Amſtelod. 1672.* prodiit. Adde Petri Peckii *Commentarios in titulos Pand. & Cod. ad rem nauticam pertinentes cum notis Vinnii*, quibus ſubjunctæ *leges navales Rhodiorum græco-latine Amſtelod. 1688.*

TIT. III.

De inſtitoria actione.

SUMMARIA.

Convenientia hujus actionis & exercitoriæ. An ejus uſus? Jura mercatorum unde addiſcenda? An ſub inſtitoribus comprehendantur miniſtri reliqui?

Convenientia hujus actionis & exercitoriæ.

DE jure Romano eadem, quæ in exercitoria actione obſervanda ſunt, etiam ad inſtitoriam quadrant; In eo ſaltem eſt differentia, quod in exercitoria exercitor etiam ex facto ſubſtituti, quem absque ipſius permiſſione magiſter præpoſuit, teneatur *l. 1. §. 4. de exerc. act.* In hac vero ex facto tertii ab inſtitore ſubſtituti non obligatur principalis dominus.

An ejus uſus? Jura mercatorum unde addiſcenda?

Quoad USUM forenſem hujus actionis eadem quoque repetenda, quæ de exercitoria monuimus, niſi quod in foris Germanicis frequentiores ſint negotiationes terreſtres, quam maritimæ, & noſtrorum mercatorum jura conſuetudinaria magis ſint, quam in ſcripturam relata. Unde plus diſcere poterit ſtudioſus juris in his materiis ex menſtrua converſatione cum mercatoribus, quam ex annua evolutione JCtorum. Solent etiam in talibus controverſiis ipſi mer-

catores

catores judicium suum ferre, vel consilium dare, quod *parere* vocant. Adde Schilter. & Beyer. *ad h. t.*

Moribus etiam domini non solum ex factis institorum, sed etiam ex factis ministrorum reliquorum der Jungen und Ladendiener obligari solent, quod tamen haud dubie non est extendendum ultra venditionem mercium *Us. mod.* §. *1.* & nec de hac indistincte tenebuntur domini, sed ubi minutim res venduntur, wo man nach der Elle verkaufft. *An sub institore comprehendantur ministri reliqui?*

TIT. IV.

De tributoria actione.

NUllum esse USUM hujus actionis dixi *ad Institutiones* §. *3. quod cum eo qui in al. pot. p. 266.* Neque *l. 5.* §. *15. h. t.* de separatione diversarum tabernarum hodie usus ubique est, nec æquitas illius legis sine rationibus dubitandi. *Us. mod.* §. *2.* *An usus tituli? An beneficii quasi separationis.*

TIT. V.

Quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicetur.

MOribus Romanorum sæpe necesse erat, cum filiisfamilias contrahere, quia pater filios suos majorennes poterat retinere in patria potestate, etiamsi viri essent, & magistratus gererent. At cum Germani regulariter filios suos a se separent post majorennitatem, minores autem habeant apud Germanos etiam beneficium restitutionis, si læsi sint, & præterea cum filiisfamilias raro contrahant alii, imo *Fundamentum hujus tituli ap. Romanos. Cur hodie cesset?*

Germanis ignota fuerint peculia filiorum, patet, nullum esse usum hujus tituli in Germania, etsi nullum sit dubium, filiosfamilias apud Germanos ex contractu obligari. Ratio dissentientium *in Us. mod.* §. 2. patriam potestatem in Germania adhuc salvam esse, petit principium. Imo totum hunc titulum in praxi nullum habere usum, fatetur *Us. mod.* §. 3.

TIT. VI.

De Senatusconsulto Macedoniano.

SUMMARIA.

An obtineat hoc SCtum intuitu patrum? intuitu filiorum familias? Intuitu minorum? An ejus usus esse possit propter renunciationes juratas?

An obtineat hoc SCtum.

HIstoriam SCti Macedoniani & legum id praecedentium succincte exponit Schilter. *Exerc. XXVII.* §. *61. seq.* quem si cum iis conferas, quae ad hunc titulum adnotavit D. Beyerus, & quae modo observavimus *ad tit. praeced.* constabit, hujus tituli USUM esse rariorem in foris Germanorum, quod etiam a Tuldeno jam observatum, contra quem non multum faciet allegatio praejudicii apud Carpzovium in *Us. mod.* §. *1.* quia una hirundo non facit ver.

Intuitu patrum?

Adde quod, cum constet, Germanos ignorare peculia profectitia, aut potius in genere peculia filiorum familias, Germani nunquam habuerint opus hoc SCto intuitu patrum, quia regulariter filii non possunt obligare parentes, sive mutuum contraxerint, sive alium contractum celebraverint. Quorsum etiam spectat casus in *Us. mod.* §. *10.* de filio nobili ad solenita-

nitatem aulicam invito parente mutuum contrahente. Ut adeo speculationes fere inanes sint, quas Dd. de usu hodierno SCti formant intuitu peculii adventitii irregularis. Vid. *Us. mod.* §. 7. *seq.* Nam non entis nulla sunt prædicata.

Interim tamen quod ipsos filiosfamilias attinet, cum nec hodie plane desint homines, qui filiosfamilias non solum pecuniis mutuo datis, sed & aliis contractibus irritant ad luxuriam, legibus peculiaribus Germani huic malo prospexerunt. Ita in academiis plerumque prohibitum est, etiam merces quasvis credere filiis ultra certam summam; sed hic non est usus SCti Macedoniani. *Intuitu filiorum familias?*

Nec poterit ad extensionem hujus SCti referri accurate prohibitio salubris, quod minoribus sine consensu tutorum nec pecunia credenda, nec alii contractus cum iis sint celebrandi sine præscitu tutorum, vid. *Us. mod.* §. 3. & 4. Hoc enim respicit jura minorum. At SCtum respicit mutuum filiorum familias etiam majorennium. *Intuitu minorum?*

Adde, quod renunciationes juratæ secundum principia juris Canonici tollerent omnem usum SCti, si quis subesset. Et quamvis etiam in hac quæstione dissentiant Dd. tamen praxis in dubio tenet cum jure Canonico. Certe distinctio, utrum bona intentione an mala mutuum fuerit datum, quam attendi in renunciatione jurata debere asserunt, vid. *Us. mod. ad fin.* neque quadrat ad principia juris Romani, neque ad praxin intuitu probationis est applicabilis. *An ejus usus esse possit propter renunciationes juratas?*

LIB.

LIB. XV.

TIT. I.

De peculio.

SUMMARIA.

Doctrinæ de peculio nullus usus? An ad peculii speciem pertineat pecunia lustrica? An ex delicto filii pater conveniri possit peculiotenus?

Doctrinæ de peculio nullus usus.

DOctrinam juris Romani de peculio servorum & filiorum familias apud Germanos nullum habere USUM, jam notavimus *ad Institutiones § 1. per quas pers. cuique acqv. p.169.* & *§.4. Inst. quod cum eo, qui in al. potest. p.266.* Concedit etiam *Usus mod. hic §. 1. & 2.* servorum peculium apud nos nullum esse, & *ad tit. de tribut. actione §. 1.* asseritur, peculium rarius (non errabis, si dixeris, nunquam) concedi solere filiis, sed filios, dum negotiantur, separatam instituere œconomiam, aut expresse emancipari, (imo, ut recte monet Lauterbach. *ibid.* citatus, pro emancipatis ex ipsa concessione negotiationis haberi;) Unde disputationes quæ *ad hunc tit. §.3. & seq.* supposita peculiorum concessione instituunitur, non pertinent ad usum forensem, sed ad speculationes non magni usus.

An ad peculii speciem pertineat pecunia lustrica?

Et tamen JCti quæstionibus ejusmodi otiosis torquentur & torquent studiosos. Ita de pecunia lustrica quatuor sunt diversæ sententiæ, ad quam peculii classem sit referenda, quas vide apud Schöpferum *n. 25.* Ejusmodi pecunia ne quidem apud Romanos ad ullum peculium pertinuisset. Nam apud Romanos non omnes liberorum aut servorum reculæ v. g. Trinckgeld &c. pecu-

peculii nomen merebantur, ſed quæ ſervis aut liberis darentur in adminiſtrationem, & haberent rationes a rationibus paternis aut dominicis ſeparatas. Interim verius eſt, pecuniam luſtricam dari parentibus & intuitu eorum. Et praxis quotidiana docet, parentes pauperes melius jura Germanica, eorumque praxin ſcire, quam JCtos de pecuniæ luſtricæ qualitate diſputantes, dum pecuniam luſtricam ſtatim expendunt. **Sie bezahlen die Gevatterſtücke und Pfannkuchen mit.** Quod vero ditiores eam ſervent liberis, hoc ex pietate & amore fit, non ex præcepto juſtitiæ, & obligatione legali.

An ex delicto filii pater conveniri poſſit peculiotenus?

Solent etiam Dd. communiter aſſerere, patrem ex delicto filii conveniri non poſſe directo, poſt condemnationem tamen filii poſſe conveniri peculiotenus actione rei judicatæ, tanquam ex quaſi contractu deſcendente. Svave ſomnium ob non recte intellectam *l. 3. §. 11. ff. h. t.* quam de alia omni re judicata loqui, quam quæ ſequitur actionem ex delicto, facile monſtrabit accuratior ejus & §. *ſtatim ſequentis 12.* inſpectio. Conf. D. Beyer. *ad h. t. poſit. 30.* Jure Germanico etiam pater ex ſuis bonis non ſolvit ob delictum filii, at ſi bonis ſeparaverit filium minorem, ex his ſolvit. Schilter. *Exerc. XXVII. th. 86.* non tanquam ex peculio, ſed ex bonis filii propriis. Ita etiam emendandus D. Beyer *ad h. t. poſit. 29. & ſtatim ſequente poſit. 31.*

TIT. II.

Quando de peculio actio annalis eſt.

An hujus tit. uſus?

Actione de peculio a Germanis nunquam recepta, corruit ſua ſponte & hic titulus. Conf. *Uſ. mod.* §. *1.*

TIT. III.

De in rem verso.

An hæc actio obtineat? An a negot. gestione differat?

ET de hujus actionis non usu in Germania dixi jam *ad Institutiones* §. *4. quod cum eo. p. 267.* Et quæ in contrarium adducuntur in *Us. mod.* §. *4.* pro demonstranda ejus differentia a negotiorum gestione, sunt subtilitates theoreticæ, non pertinentes ad usum practicum, inprimis cum aliquoties jam dictum sit, differentiam inter actiones b. f. & stricti juris nullum habere usum in foro.

TIT. IV.

Quod jussu.

An hæc actio in usu? Quando ap. Rom. data fuerit?

NEc hanc actionem apud Germanos ullius esse usus, diximus *ad* §. *1. Inst. quod cum eo p. 264.* ubi simul ostendimus, falsam esse explicationem communem, quasi actio quod jussu data fuerit, si pater jussum direxerit ad filium. *Us. mod.* §. *1.* Unde sufficit pro nostra sententia, quod dissentientes fateantur, in eo casu, ubi pater jussit illi, qui cum filio postea contraxit, ut contrahat, tunc subtilitati illi amplius non esse locum, sed locum habere actionem mandati. Vid. *Us. mod.* §. *2.*

LIB. XVI.

TIT. I.

De Senatusconsulto Vellejano.

SUMMARIA.

Ratio hujus SCti an quadret ad Germanos? An hi illud receperint? An SCtum competat fœminæ illustri?

An

An Judææ? An renunciatio SCti conveniat principiis juris. Sententiæ affirmantis origo. Usus SCti exiguus & iniquus.

RAtiones politicas SCti Vellejani summatim exponit Schilter. *Exerc. XXVIII. th. 1.2.3.4.* Adde *l. 1. & 2. h.t.* MORIBUS Germanorum etsi mores mulierum meliores fuerint, judiciumque minus corruptum, adeoque rationes SCti Vellejani ad eos non quadraverint, inprimis cum perpetua tutela prospexerint mulierum infirmitati, recepto tamen jure Justinianeo in plurimis locis receperunt etiam SCtum Vellejanum, in quibusdam tamen non receperunt, aut abrogarunt. Schilter. §. 5. 6. disput. nostr. *de Usu exiguo SCti Vellejani §. 6. usque ad §. 10. Us. mod. §. 2. usq. ad §. 6.* *Ratio hujus SCti an quadret ad Germanos? An hi illud receperint?*

Quoad fœminas illustres regalia & jurisdictionem habentes dissentiunt Dd. utrum ad illas etiam SCtum extendendum sit. Negativam defendi in *citata disputatione p. 11.* majori cum verosimilitudine, quam qui affirmativam tuentur, vide *Us. mod. §. 7.* Etsi enim jus Romanum illam distinctionem inter fœminas jurisdictionem habentes & non habentes, ignoret, id tamen non mirandum, quia tum non erant in orbe Romano fœminæ regalibus jurisdictionalibus pollentes. *An SCtum competat fœminæ illustri?*

Judæorum fœminis etiam beneficium hujus SCti competere putant nonnulli, ubi scilicet publica autoritate tolerantur. Sed & hic dissentiunt alii. Vide Schöpfer. *hic n. 3.* nec absque ratione, sive quod Judæi universi & eorum uxores credantur mercaturam exer- *An Judææ?*

 cere,

cere, ſive quod Judæi indigni eſſe cenſeantur beneficiis Chriſtianorum.

An renunciatio SCti conveniat principiis juris?

Quod renunciationem SCti attinet, communiter quidem ſecundum principia juris Romani validam eam eſſe exiſtimant. Multi tamen Dd. hac etiam in parte diſſentiunt. Videantur Schilter. *Exerc. XXVIII.* §. *8. ſeq.* D. Beyer *ad h. t. p. 15. ſeq.* Leſchaſſerius *de renunciatione Vellejani;* nec ſine rationibus prægnantiſſimis: partim ſi (1) quis conſideret rationes inventi SCti Vellejani *l. 1. & 2. h. t;* partim ſi (2) cogitetur, quod fœmina intercedens etiam ſolutum repetat; partim (3) quod quemadmodum minori non nocet renunciatio beneficiorum in ipſius favorem inventorum facta in minorennitate, ita etiam mulieri non nocere debeat renunciatio juris ob imbecillitatem ſexus ipſi conceſſi facta, durante illa imbecillitate, i.e. durante tota vita; partim (4) quod ita revera non proſit tota inventio SCti, cum fœminæ eadem facilitate poſſint perſvaderi ad renunciandum, qua perſvadentur ad intercedendum; partim denique (5) quia nullus textus juris hoc aſſerit. Nam *l. fin.* §. *4.* loquitur plane de caſu ſpecialiſſimo, cujus ratio eſt, ne judicium reddatur eluſorium. Porro nec *l. 21. C. h. t.* quicquam probat, quia loquitur de remiſſione hypothecæ. Et quamvis fœminæ tutrices liberorum cogantur renunciare SCto, tamen & hic caſus ſpecialis eſt, quia interceſſio facta in negotiis pupilli ipſis regulariter non nocet.

Sententiæ affirmantis origo.

Sed tamen his omnibus non obſtantibus error communis jus fecit in praxi, etſi rurſus de modo renunciandi infinitæ ſint diſſenſiones, & adeo ſumma juris incertitudo, vide *dict. diſp. noſtr.* §. *16. usque ad* §. *30.*

Ori-

Originem autem debet illa ſententia erronea æquitati cerebrinæ juris Canonici, *ibid.* §.*31.* fruſtra diſſentiente *Uſu moderno* §. *9.* Etſi enim textus juris Canonici ſint ſpeciales, tamen rationes decidendi ibi univerſales ſunt.

Atque adeo, ubi etiam receptus eſt uſus SCti Vellejani in Germania, neceſſe tamen eſt, ut ejus ſit exiguus uſus in foris Germaniæ, quia creditores non plane ſtupidi curant fieri renunciationes SCti juratas, quo pacto haud dubie ineſſicax redditur totus uſus SCti, cum fœminæ ſic renunciantes plerumque decipiantur a creditoribus vel debitoribus, & eadem ſexus fragilitate, qua ad intercedendum perſvadentur, perſvaderi ſoleant ad renunciationem juratam. *Uſus SCti exiguus,*

Quod ſi aliquis uſus ſupereſt SCti, erit & hic ut plurimum, ſi non ſemper, iniquus & irrationalis, quia tum decipiuntur creditores, etiam optimæ fidei, & minime doloſi, adeoque tum praxis repugnat non ſolum principiis juris naturalis, ſed & ipſius juris Romani *l. 30. ff. h. t.* vid. *dict. diſſert. noſtra* §. *32. 33. 34.* Adde, quod praxis noſtra anſam det otioſis juramentis, nomen Dei profanantibus, & etiam multis perjuriis, item communi diſſenſui & incertitudini juris in multis quæſtionibus, de quibus vide *Uſ. mod.* §. *9. 10. 11. 12. 16. 18. 23. 24.* *& iniquus.*

TIT. II.

De compenſationibus.

SVMMARIA.

Quantitas, genus, ſpecies quid hic denotent? Compenſatio debiti naturalis tantum an hodie occurrat? An ceſ-

sionario opponi possit compensatio cum cedente? An fisco compensatio opponi possit? An ad retentionem requiratur debitum liquidum? An compensationis usus jure Antejustinianeo, Gallico & Germanico? An adversus debitum ex instrumento guarentigiato compensatio admittatur?

Quantitas, genus, species quid hic denotent?

QUid denotent termini quantitatis, generis & speciei in doctrina de compensationibus, distinctius exposui *in notis ad Strauchium dissert. 17. th. 10.* Scilicet compensari possunt individua ejusdem speciei fungibilis ejusdem bonitatis, v. g. tritici cum tritico; non possunt equus cum equo, equus cum hordeo, triticum cum hordeo. Compensari tamen potest quidam equus indefinite debitus cum quodam equo similiter debito.

Compensatio debiti naturalis tantum an hodie occurrat?

Secundum jus Romanum etiam quod natura debetur, seu debitum naturale tantum in compensationem veniebat *l. 6. h. t.* Eoque refertur debitor injuria judicis liberatus, ut & hic compensare teneatur, si ejus debitor postea fiam *l. 28. pr. l. 60. pr. de condict. indeb.* Schöpfer *hic n. 9.* Sed vereor, ut hic casus quadret ad mores Germanorum, quia dicti textus loquuntur de judice pedaneo. Prætor enim jus reddere dicitur, etiam cum inique decernit, *l. ult. de J. & J.*

An cessionario opponi possit compensatio cum cedente?

Cum ad compensationem instituendam requiratur, ut sint mutui debitores, disputatum fuit, an cessionario opponi possit compensatio debiti, quod debet cedens. Sed obtinuit affirmativa sententia. Vide *notas ad Strauchium diss. 17. th. 10.* & *nova scholia ad Huberum h. t.* Schilter. *Exerc. XXVIII. §. 20. seq. Us. mod. §. 6.*

An fisco com-

Fisco etiam opponi posse compensationem, de jure

jure Romano planum est *l. 12. ff. h. t. Us. mod.* §. 7. Vide tamen requisita & limitationes hujus regulæ *ibid.* §. 8. & 9. Sed cum fisci nostri non ubique sit eadem ratio, quæ erat fisci Romani, ante omnia consideranda erit convenientia & disconvenientia utriusque. Conf. Schilter. *Exerc. XXVIII. th. 25. seq.* & de diversi fisci stationibus eund. §. 29. 33. *pensatio opponi possit?*

Ad jus retentionis exercendum, inter alia etiam requirunt regulariter, ut debitum sit liquidum. Nonnulli tamen etiam in illiquidis retentionem admittunt. Dissensum vide in *Us. mod.* §. 16. *An ad retentionem requiratur debitum liquidum?*

Compensatio nititur summa æquitate naturali, cum dolo quis petat id, quod statim restituturus est. Igitur est juris gentium quoad USUM forensem, & adeo ubique obtinet, nisi ex ratione status speciali id sit prohibitum. *An compensationis usus,*

Talis ratio status erat juris civilis Antejustinianei, quo in contractibus bonæ fidei compensatio ipso jure tollebat debitum, in contractibus autem stricti juris demum per exceptionem doli mali a tempore exceptionis oppositæ, quod tamen ipse Justinianus sustulit *l. 30. C. de compens.* §. 30. *Inst. de actionibus.* Talis ratio status est Gallorum, apud Schilterum *Exerc. XXVIII.* §. 15. & 17. *Jure Antejustinianeo, Gallico,*

Germani secuti sunt jus gentium jam a temporibus Caroli M. Schilter. *Exerc. XVIII.* §. 16. Nec obstat textus juris Saxon. *lib. 3. art. 12.* quia loquitur vel de reconventione, Schilter. §. 15. & 17. vel de compensatione debiti illiquidi aut specierum. Illo enim tempore, tanquam in magna veterum paupertate rarius de pecunia actiones instituebantur. *& Germanico?*

Mori-

An adversus debitum ex instrum. guarentigiato compensatio admittatur?

Moribus etiam in eo est differentia inter jus commune & Saxonicum, quod in Saxonia adversus debitum ex instrumento guarentigiato non admittatur compensatio debiti cum delatione juramenti. Vide Schöpfer. *hic n. 6.* Alibi vero hæc compensatio admittitur, ut hic in Ducatu Magdeburgico. Nam debitum, quod quis per testes probare vult, ubique pro illiquido habetur. Nec obstant ea, quæ habet Schilterus *ad tit. de fide instrum. Exerc. XXXV.* §. *17.* Vix enim ea obtinent, nisi in quæstione possessorii summariissimi.

TIT. III.

Depositi, vel contra.

SUMMARIA.

Depositum juris gentium. Ejus convenientia cum mandato inprimis ratione culpæ & periculi. Ejus usus. An bodie differat depositio rei immobilis a mandato? An usus distinctionis depositi in simplex & miserabile, irregulare & mutuum. Actio depositi an hodie famosa? An casus cedendæ actionis depositi in usu? Probatio culpæ cui incumbat?

Depositum juris gentium.

DEpositum, quatenus inde obligatio utrimque oritur, est juris gentium, ubique obligans. Quatenus vero jure Romano quædam peculiaria habebat, eatenus illa differentia nullum videtur habere usum in foris Germaniæ.

Ejus convenientia cum mandato,

Potissimum notandum, quod jure gentium mandatum & depositum quoad effectus pene coincidant, aut saltem tanquam genus & species differant, nisi quod

quod intuitu nominis mandatum denotet ſaltem ſimplicem conventionem, depoſitum vero rei interventionem ſupponat, Schilter. *Exerc. XXVIII. th. 71.* Jus vero Germanicum & hic ſequitur ſimplicitatem juris gentium, non ſubtilitates juris Romani.

Hinc utrobique eadem culpa præſtatur, id eſt, & depoſitarius & mandatarius debent rem alienam magis cuſtodire, quam ſuam, (utpote quam regulam jam ſupra *ad tit. Commodati* notavimus, jure Germanico fuiſſe generalem,) vide omnino *Speculum Svevic. cap. 243.* Cui non contradicit *Speculum Saxonicum lib. 3. art. 5.* ſecus ac putat Dn. Schilter. *ibid.* §. *48.* Nam jus Saxonicum ſaltem unam culpam novit per ſuperius dicta. *inprimis ratione culpæ,*

Quod ſi tamen rem alienam magis quam ſuam cuſtodiverint uterque & depoſitarius & mandatarius, tum ulterius de periculo neuter tenetur, dict. *Specul. Svec. c. 143.* cui non obſtat *c. 247.* quod vel loquitur de locatione, vel ubi periculum pacto eſt ſuſceptum, quorſum inclinant ipſa verba. *& periculi.*

Et hoc jure adhuc hodie utimur, tanquam conveniente etiam cum principiis juris naturæ. Vid. Pufend. *lib. 5. c. 4* §. *7.* Schilter. *d. l.* §. *47.* niſi ubi jus Romanum receptum eſſe doceri poteſt, uti de jure Bavarico teſtatur Schilterus *ibid.* §. *48.* *Ejus uſus.*

Porro ſecundum jus Romanum verius eſt, res etiam immobiles deponi poſſe, & actionem depoſiti locum habere, niſi contractus a mandato inceperit, ut ſi ei, qui jam mandatarius meus eſt, cuſtodiam rerum immobilium commendem. Notum enim eſt, JCtos Romanos in contractibus bonæ fidei maxime *An hodie differat depoſitio rei immobilis a mandato?*

 inſpe-

inſpexiſſe initium contractus; confer *dicta ad Huberum h.t.poſ.1.* quamvis multi diſſentiant, Schöpfer. *hic n.9.* Secundum principia vero juris Germanici hæc quæſtio nullum uſum habet, cum utrobique eadem ſit præſtatio.

An uſus diſtinctionis depoſiti in ſimplex & miſerabile;

Diſtinctionem inter depoſitum ſimplex & miſerabile apud nos nullum habere uſum, jam oſtenſum in diſputatione *de uſu action. pœnal. C.3. §. 32.* Unde facile jam poterit reſponderi diſſentienti *Uſui mod. hic. §. 1.*

irregulare & mutuum?

Nulla etiam amplius eſt differentia hodie inter depoſitum irregulare & mutuum. Unde compenſatio quoque locum habebit in depoſito irregulari. Diſſentit *Uſ. mod. §. 2.* Et in tali depoſito uſuræ debentur hodie ex pacto quandocunque adjecto, & ex mora. *Uſ. mod. §. 3.*

Actio depoſiti an famoſa?

MORIBUS Germaniæ inſuper actio depoſiti non eſt famoſa. Schilter. *Exerc. XXVIII. §. 50.* fruſtra diſſentientibus aliis citatis in *Uſu moderno §. 7.*

An caſus cedendæ act. depoſiti in uſu?

Porro ſi depoſitarius rem depoſitam iterum apud alium depoſuerit, moribus Germaniæ non opus eſt ceſſione, ut apud Romanos, *l. 16. ff. h. t.* Sed habeo ſtatim implorationem officii judicis.

Probatio culpæ cui incumbat?

Denique culpæ probationem incumbere deponenti, procedit quidem jure Romano, Lauterbach. *hic.* ſed de jure Germanico ea probatio incumbit depoſitario, quod & rationi convenientius. Probat vero, culpam ſe non commiſiſſe, depoſitarius juramento. *Specul. Svevic. & Saxonic. dictis locis.* quamvis diſſentiat Schilterus §. 49. Quod ſi tamen deponens velit & poſſit probare culpam depoſitarii, hic ad juramentum non admittetur.

LIB.

LIB. XVII.

TIT. I.

Mandati, vel contra.

SUMMARIA.

Ad quam culpam teneatur mandatarius? Quando hæc actio infamet? Usus mandati. An hodie ratione culpæ differat a deposito & negotiorum gestione? Actio mandati an hodie famosa?

AD culpam levem teneri mandatarium probat D. Beyer *ad h. t. th. 19. seq.* Dissentiunt communiter ac dicunt, etiam ad levissimam culpam teneri mandatarium. Schilter. *Exerc. XXVIII. th. 85. seq.* Revera dissensisse JCtos Romanos tum in mandato, tum in negotiorum gestione quoad præstationem culpæ docui in dissert. *de usu practico doctrinæ de culp. præstat. c. 1. §. 25.* *Ad quam culpam teneatur mandatarius?*

Actio mandati directa apud Romanos infamat tum demum, si ob dolum condemnatus mandatarius. De contraria, eam indistincte infamare, asserit Schöpfer. *n. 11.* per *l. 6. §. 5. de his qui not. infam.* Sed verius, dictam *l. 6. §. 5. junct. §. 7.* loqui de speciali casu, si ex mandato tuo pro te fidejussi, vel de simili, quia tum mandans perfidus est. *Quando hæc actio infamet?*

Mandatum, ut contractus juris gentium, hodie haud dubie in USU forensi obtinet. Aliud, quatenus jure Romano specialiter quædam ibi recepta erant. *Usus mandati.*

De differentia inter mandatum & depositum dixi jam *ad tit. præced.* Idem dicendum de differentia inter mandatum & negotiorum gestionem, eam scilicet ratione *An hodie ratione culpæ differat a de-*

posito & negotior gestione? tione præstationis culpæ hodie nullam esse, per ea quæ *ad tit. Commodati* & *Depositi* jam notavimus.

Actio mandati an hodie famosa? Quare nec moribus Germaniæ actio mandati, sive directa, sive contraria, sunt famosæ, per dicta *ad tit. de his qui not. infamia.*

TIT. II.

Pro socio.

SUMMARIA.

An societas universalis frequens fuerit apud Romanos? Quam culpam præstet socius? An doctrina Romana hujus tituli apud Germanos in usu? An occurrat societas universalis? An socius præstet culpam saltem latam? An obliget socium?

An societas universalis frequens fuerit apud Romanos? Nota est divisio societatis in universalem, generalem & particularem. Credo tamen JCtos Romanos, dum de societate universali, seu omnium bonorum egerunt, non tam respexisse ad ea, quæ fieri solent, quam ad ea, quæ fieri saltem non sit impossibile. Neque enim puto, facile exemplum extitisse apud Romanos societatis omnium bonorum.

Quam culpam præstet socius? Quod culpæ præstationem in societate attinet, revera dissensisse JCtos Romanos, docui in disputatione *de usu practico doctrinæ de culparum præstationibus c. 1. §. 24.* Nam secundum *l. 52. §. 2. & 3. h. t.* culpam levem præstat socius, at secundum *l. 72. eod.* & *§. ult. Inst. de societate* latam tantum præstat.

An doctrina h. t. apud Germanos in usu? Leges GERMANORUM antiquæ de societate nihil disposuerunt, ignorantes videlicet illis temporibus societates mercatorias & quæstuarias. Interim qua-

quatenus ex jure gentium pleraque in hoc titulo definita ſunt a Romanis, nullum dubium, quin & ea apud nos ſint in uſu, quamvis tutius ſit, hic recurrere ad ipſas conſvetudines.

Igitur nec apud Germanos in uſu eſt ſocietas univerſalis omnium bonorum. Adde D. Beyerum *ad h. t. n. 12.* (niſi huc referre velis ſocietatem conjugalem omnium bonorum Germanis non infrequentem. Sed hæc tamen meretur peculiarem diſpectionem.) Unde differentiæ juris Romani ſocietatis particularis & univerſalis, v. g. ratione communicationis bonorum, ratione traditionis, renunciationis, collationis ob delictum ſocii &c. hodie exiguum habebunt uſum forenſem. *An occurrat ſocietas univerſalis?*

Porro jure Germanico ſocius in rebus etiam communibus, quæ ex parte alienæ ſunt, majorem debebit adhibere diligentiam, quam in rebus propriis, per dicta *ad tit. Commodati & Depoſiti*, unde non habebit uſum diſpoſitio §. *fin. Inſt. hic*, quod major quam lata culpa a ſocio non præſtetur. *An ſocius præſtet culpam ſaltem latam?*

Utrum ſocius ſociis obligationem acquirat, latius exponit Schilter. *Exerc. XXIX. §. 8. ſeq.* Moribus mercatoriis puto verius eſſe, ut ſocius nomine ſocietatis contrahens & obliget ſocios, & iis obligationem acquirat, quia moribus Germanorum ſubtilitas juris Romani de obligatione oſſibus contrahentium inhærente nunquam fuit recepta. *An obliget ſocium?*

LIB. XVIII.

TIT. I.

De contrahenda emtione & de pactis inter emtorem & venditorem compositis, & quæ res venire non possunt.

SUMMARIA.

Arrha quid? An signum emtionis imperfectæ? Cur nobiles a venditione cerevisiæ & mercatura prohibeantur? Emtio fructuum an emtio spei an rei? Dispositio Germanica de venditione fructuum in herbis an quadret ad fructus futuros in genere? Inutilitas quæstionis: utrum emtio sit an permutatio, si partim res, partim pecunia solvatur. Error cui noceat? Contra quem in dubio facienda interpretatio? Pactum de retrovendendo, cur apud Romanos inventum? An in usu? Jus retractus gentilitium in quibus bonis in Saxonia locum habeat? An cedi possit? Usus & non usus tituli.

Arrha quid? An signum emtionis imperfectæ?

OStendi prolixe in disputatione *de arrhis emtionum*, arrhas nunquam dari in signum emtionis imperfectæ, adeoque licere recedere semper ab emtione arrhis datis sub earum amissione, nisi aliud conventum sit. Simul vero ostendi, jure Germanico arrhas nihil aliud esse, quam Reukauff / & communiter confundi cum Gottes Pfenning / Weinkauff / Leykauff / Haffgeld vel Herdgeld. Conf. *Us. mod.* §. *11.* & *12.*

Cur nobiles a venditione cerevisiæ &

Quod Nobilibus hodie non concedatur jus cerevisiam vendendi, Dd. deducere solent ex *l. 3. C. de commerc. & merc.* vid. Schöpfer. *hic. n. 7. & 8.* quasi scilicet illa

illa lex Honorii unquam lata ſit Germanis aut ab iis obſervata. Dicendum potius, quod ideo in Germania turpe habeatur Nobilibus & indecorum, mercaturam exercere, quia primi cives urbici in Germania liberti fuerunt, & quia in Germania coctio & venditio cereviſiæ fuit antiquiſſimus & primus uſus urbanus, hodienum quamcunque etiam urbeculam a vico ſecernens. Et hæc etiam eſt ratio, cur Nobilibus Germanis turpe habeatur magnam mercaturam exercere, quod tamen non habetur turpe apud Belgas, Venetos, Genuenſes &c. Conf. D. Beyer. *ad h. t. poſit. 6.* Res vero domi natas vendere non habetur turpe Nobili Germano. *mercatura prohibeantur?*

Diſtinctionem communiter faciunt Dd. inter emtionem ſpei, & rei ſperatæ; Ad poſteriorem referunt venditionem fructuum futurorum, utpote quæ tacitam habeat conditionem, ſi fructus *aliqui* naſcantur, *l. 8. pr. h. t.* Verum id quidem in dicta lege non dicitur, nec probatur ex textibus Schiltero adductis *Exerc. XXX. §. 29.* Unde mallem, & hunc caſum referre ad emtionem ſpei cum Hubero *ad Inſtit. h. t. poſit. 12.* Videndum, quid actum ſit. Nihil enim prohibet, quin de fructibus futuris eodem modo contrahi poſſit, uti de captura piſcium. Interim caſus vix dabilis eſt, ut plane nulli fructus ſint naſcituri. Et neſcio, quo reſpexerit D. Beyerus, dum in *poſit. 21. ad hunc tit.* aſſerit, in emtione fructuum futurorum, pretio decreſcere, quod merci decreſcit. *Emtio fructuum an emtio ſpei, an rei?*

Quod autem fructus in herbis vendi nequeant, niſi ſub conditionibus in *Ordinatione politica de anno 1577. tit. 19.* poſitis, id ſpeciale inventum eſt juris Germanici, *Diſpoſitio Germ. de venditione fructuum in*

herbis, an quadret ad fructus futuros in genere?

manici, in odium dardanariorum pauperibus rusticis lucrum magnum sub præstatione pretii minoris extorquentium. Adde Schilterum §. *30.* Nam alias jure Romano valeret etiam hæc emtio spei. Nec extendenda erit illa dispositio Germanica ad venditionem fructuum futurorum in genere, qui nondum sunt in herbis. Et ita intelligo dicta in *Usu mod.* § *9.*

Inutilitas quæstionis: utrum emtio sit an permutatio, si partim res, partim pretium solvitur.

Quæstio: an in casu ubi partim res, partim pecunia pro re venali datur, iste contractus permutatio, an emtio dici debeat? in Germania nullius erit usus. Neque enim formula certa agendi apud nos opus est, nec pœnitere possumus in permutatione. Moribus Germaniæ etiam in omnibus contractibus una culpa præstatur. Nec usum præstabit quæstio in doctrina de retractu. Adde omnino D. Beyerum *ad tit. de permutatione post posit. finalem.*

Error cui noceat?

De errore in emtione venditione obveniente generalis est regula: Error nocet erranti. Et hanc regulam puto receptam esse apud Germanos, tanquam quæ juris gentium est. Jure Romano si accuratius textus inspicias, videntur JCti non ubique ex iisdem principiis quæstiones decidisse, etsi interpretes conciliationes quærant in distinctionibus circumstantiarum, quæ non multum videntur ad rem facere, v. g. quod attendendum sit, si error est circa materiam rei venditæ, an in parte minori, an in majori parte erratum sit &c.

Contra quem in dubio facienda interpretatio?

Obscuritatem pacti nocere debere potius venditori, qui id dixerit, quam emtori; quia potuit re integra apertius loqui, ait JCtus in *l. 21. ff. h.* Verum dicta lex intelligenda est, quatenus plerumque venditores

res

res in suum favorem pacta adjicere solent contractui venditionis. Adeoque non obstat generali regulæ: Quod in dubio interpretatio facienda contra eum, qui clarius loqui debuisset, atque ita pro ratione circumstantiarum tam contra emtorem, quam venditorem.

Pactum de retrovendendo cur apud Romanos inventum? An in usu?

Quod pactum de retrovendendo attinet, ostendi in disputatione *de usu practico accuratæ distinctionis inter emtionem cum pacto de retrovendendo & contractum pignoratitium cap. 3. & 4.* illud apud Romanos inventum fuisse in fraudem dispositionum Romanarum de pignore, & tamen publice approbatum. Apud alias vero gentes inter illa duo exiguam esse differentiam, adeoque apud Germanos ante receptum jus Justinianeum non occurrere casum emtionis cum pacto de retrovendendo. Post receptionem vero juris Romani pragmaticos totam hanc doctrinam de differentiis utriusque contractus distinctionibus suis reddidisse confusissimam.

Jus retractus gentilitium in quibus bonis in Saxonia locum habeat?

Ad jus retractus gentilitium inter alia requiritur in Saxonia Electorali, ut bona immobilia quæ retrahuntur, sint avita, hoc est a venditoris avo olim acquisita, si scilicet retrahentes sint liberi venditoris. Ad alios enim illud jus non extenditur, & jus repræsentationis hoc casu cessat, nisi per statuta & consvetudines aliud introductum. Berger. *Oeconomia juris p. 662. seq.*

An cedi possit?

Non etiam illud jus retractus gentilitium extraneo cedi potest; At jus protimiseos conventionale recte ceditur, quia est ad heredes transmissibile. *Us. mod. §. 24.*

Usus & non usus tituli.

Quoad USUM hujus tituli ea in contractu em-

 tionis

tionis apud Germanos obtinent, quæ juris gentium ſunt. At quæ jus Romanum de tutoribus diſponit, item de præſidibus ac medicis, ſunt juris civilis, & ad rationes ſtatus Germaniæ non quadrant, nec adeo ſunt recepta. Conf. *Uſ. mod.* § 2.

TIT. II.

De in diem addictione.

SUMMARIA.

An in ſubhaſtationibus ſit addictio tacita? An addictio || *in diem in uſu?* ||

An in ſubhaſtatione ſit addictio tacita?

PUtat equidem Schilterus, in ſubhaſtationibus primum licitatorem non poſſe pœnitere, ſi alter plus licitans non ſit ſolvendo, cum perfecta fuerit emtio reſpectu prioris ſub tacita addictione in diem; Vid. *Uſ. mod. §. 2. & 4.* Sed ſententia Brunnemanni, quam recenſet *Uſ. mod. ibid.* ſcilicet primum licitatorem non teneri, nec addictionem in ejusmodi ſubhaſtationibus poſt primam licitationem ſtatim fieri, haud dubie eſt receptior. Quamvis nulla pene ſit provincia, quæ non habeat peculiares leges de ſubhaſtationibus. Quorſum etiam pertinent dicta in *Uſu mod. §. ult.*

An addictio in diem in uſu?

Cæterum hic titulus fluit ex natura promiſſorum, adeoque omnino, quæ hic diſponuntur, apud Germanos in USU forent, ſi ipſum pactum addictionis in diem frequentaretur. At experientia teſtatur, illud non apparere in emtionibus noſtris, inprimis pactum addictionis reſolutivum, partim quia non eſt ex re emtorum, talia pacta permittere venditoribus, partim, quia variæ fraudes etiam clandeſtinæ, & quæ difficulter probari poſſunt, intervenire queunt.

TIT.

TIT. III.
De lege commissoria.

PActum legis commissoriæ rarius apparet in foro, quia rarius adjicitur emtionibus apud Germanos. Unde frustra quæritur, an venditor possit retinere partem pretii jam soluti, *Us. mod.* §. 5. & an usum habeat etiam in aliis contractibus, *Us. mod.* §. 10. Sed habent Germani aliud pactum affine, Romanis incognitum, quo venditor sibi dominium reservat, donec solvatur pretium, de quo vide Schilterum *Exerc. XXX.* §. 55. *seq.* *An legis commissoriæ usus ap. Germanos in emtione & aliis contractibus?*

TIT. IV.
De hereditate vel actione vendita.

SUMMARIA.

An vendi possit hereditas viventis? An hic opus cessione actionum? An venditor debeat præstare, quæ jure accrescendi acquisivit? An in venditione actionum cessio necessaria? An cedi possit actio injuriarum æstimatoria? An usus probibitionis de actione potentiori non cedenda, item legis Anastasianæ? An Judæus cedere possit Christiano actionem contra Christianum?

NOn tenetur venditor hereditatis, nec ad ejus præstationem, nec ad pretii restitutionem, si alter eam tanquam spem emit, uti ex *l. 11. h. t.* communiter asseritur. Notandum tamen, non intelligendum esse casum de hereditate viventis vendita, sed si venditio facta sit sub conditione, si hereditas aliqua tibi delata fuerit. MORIBUS Germanorum valet etiam venditio hereditatis hominis viventis, si judicialiter facta sit. Schilter. *Exerc. XXX.* §. 59. 60. 61. Conf. *Us. mod.* §. 2. *An vendi possit hereditas viventis?*

An hic opus cessione actionum?

Quod heres venditor teneretur emtori jure Romano actiones cedere, *l. 2. §. 3. l. 14. pr. h. t.* id corollarium est subtilitatum Romanarum, de actionibus ossibus inhærentibus, quæ moribus Germaniæ non sunt receptæ, sed actiones cum ipsa venditione statim transeunt. Schilter. §. *62. seq.*

An heres debeat præstare, quæ jure accrescendi acquisivit?

An heres venditor etiam præstare debeat, quæ jure accrescendi acquisivit post venditam hereditatem, in utramque partem a doctoribus disputatur; Conf. quos citat Schöpfer *hic n. 5.* ubi negativam vocat magis receptam, nec tamen diffitetur, contrariam prægnantibus rationibus defendi posse, ut faciunt Duarenus, Robertus, Wissenbach, Perez, Mantica. Schilter *Exerc. XXX.* §. *68.* Convenientior tamen est moribus Germaniæ opinio, quod heres debeat restituere emtori ea, quæ jure accrescendi acquisivit. Et quamvis Schöpferus contrariam dicat esse magis receptam, tamen & ipsa assertio hæc nondum est probata, & receptio illa intelligenda magis de libris, quam de foro, ubi vix in seculo ea de re casus occurrit.

An in venditione actionum cessio necessaria?

Circa venditionem actionum pariter nota, quod hodie ob modo dicta non amplius opus sit cessione. Conf. D. Beyerum *hic post posit. 22.*

An cedi possit actio injuriarum æstimatoria?

Ad actiones quæ vendi & cedi non possunt, communiter referunt actionem injuriarum æstimatoriam, vid. Beyerum *posit. 28. seq.* Dissentiunt tamen non pauci citati a Schöpfero *hic n. 12.*

An usus prohibitionis de actione potentiori non

Porro justissime quidem constitutum, ne actiones cedantur potentioribus, & ut coërceatur redemtio litium per legem Anastasianam. Cum tamen non omnia mala legibus tolli possint, inde, etsi fatentibus omni-

omnibus hæ leges apud Germanos ſint receptæ, & paſſim legantur in conſtitutionibus imperii & provincialibus, invenerunt tamen doctores potentum amici tot limitationes, ut ipſa lex & ejus efficacia pene per eas ſit ſublata, & vix effectum habeat, niſi in plebejis. Pro quibus forte cautela erit, ſi emtores ceſſionis non faciant mentionem, ſed agant tanquam procuratores cedentium. Sed hæc cautela tamen iterum alia indiget, ne reus ſolvat venditori actionis, aut alio modo hic cum illo colludat. Imo poterit etiam reus actori procuratorio nomine agenti deferre juramentum ſuper ceſſione in fraudem legis Anaſtaſianæ facta. Adde *Uſ. mod.* §. *8. ſeq.* Schilter. §. *79--87.* D. Beyer. *poſit. 69-90.*

cedenda? it. legis Anaſtaſianæ?

Quod Judæus Chriſtiano non poſſit cedere nomen vel actionem contra Chriſtianum, ſub pœna amittendi debiti, hoc eſt inventum juris Germanici. Conf. *Uſ. mod.* §. *12.* cui tamen fere non reſpondet praxis, cum cambia quotidie aſſignentur etiam Judæis & ab his Chriſtianis, *ibid.* Quod ſi dicere velis, hoc eſſe ſpeciale in cambiis, habebis praxin peſſime cohærentem, cur enim cambia cedi poſſunt, reliqua non poſſent? Unde JCti Saxones in genere permittunt ceſſionem debiti non uſurarii, propter clauſulam Receſſibus additam. Schilter. *Exerc. XXX.* §. *72.*

An Judæus cedere poſſit Chriſtiano actionem contra Chriſtianum?

TIT. V.

De reſcindenda venditione & quando liceat ab emtione diſcedere.

SUMMARIA.

Æquitas l. 2. C. de reſc. venditione cerebrina. Ejus origo. An detur juſtum pretium & læſio ante conventio-

tionem? Dubia dictæ legis. An ejus usus practicus? || *Negatur contra dissentientes.*

Æquitas l. 2. C. de resc. vend. cerebrina. Ejus origo.

IN dissertatione peculiari *de æquitate cerebrina l. 2. C. de rescindenda venditione* docui *capite 2.* doctores communi consensu defendere veram æquitatem & humanitatem dictæ *l. 2.* interim tamen nullam æquitatem subesse, cum distinctio inter dolum ex persona & ex re nulla sit, æquitas illa demum tempore Diocletiani in cerebro alicujus JCti orta sit, & post Diocletianum mox a sequentibus Imperatoribus correcta, imo ipsum Diocletianum jam sensisse ejus iniquitatem, & totum hunc errorem communem deberi ignorantiæ seculi Justinianei. Porro Tribonianum falsa illa æquitate inescatum, alias leges interpolasse. Hinc autem infinitas dissensiones interpretum ortas esse in exponenda illa lege, & infinitis inde formatis quæstionibus ibidem per indicem recensitis, ostensis simul dissensionum fontibus.

An detur justum pretium & læsio ante conventionem?

Ostensum etiam est a priori, pretia rebus non inesse, sed ab arbitrio hominum mero, eoque stulto magis quam sapiente dependere, adeoque esse variantia & incerta, ac in conventionibus ea dependere non ab arbitrio tertii, sed a solo arbitrio utriusque contrahentium, regulariter res proprias magni, alienas parvi æstimantium, donec mutua remissione conveniant; Quemlibet tamen ex natura negotiorum humanorum desideria sua dissimulare & utrobique magis respiciendum esse ad regulas prudentiæ, quam justitiæ & humanitatis. Ex dictis autem sequi, non dari justum pretium ante conventionem, nec læsionem ullam, multo minus ultra dimidium: atque dicta æque in emtione

ac

ac permutatione locum habere, & pariter in civitatibus, quam in ſtatu naturali, nec objectionem de pretio legitimo in civitate nos ferire.

Dubia dictæ legis. Denique reſpondi ad dubia *legis 2.* (1) de humanitate, (2) de juſto pretio (3) de minore dimidio juſti vel veri pretii, (4) ad commune dictum: pretia rerum non ex affectione ſingulorum, ſed communiter fungi; (5) ad æquitatem in contractibus oneroſis requiſitam, (6) ad cenſuram Canoniſtarum.

An ejus uſus practicus? In *capite 3.* monſtravi, quomodo ex hactenus dictis fluat, nullum eſſe uſum practicum legis Diocletianeæ, & fuſius de ſecernendo legum uſu practico genuino a ſpurio diſſerui, & ſimul docui, ad uſum practicum illius legis probandum non ſufficere reſciſſionem læſionis doloſæ; a nobis non expectandam eſſe probationem aſſertionis noſtræ; fruſtra provocari a diſſentientibus ad uſum Cameræ & collegiorum Saxonicorum; experientiam quotidianam teſtari de non uſu legis, & inde ortas eſſe tot variationes Dd. de probatione læſionis ultra dimidium; legis inſuper diſpoſitionem male extendi ad transactionem, quamvis hæc inepta extenſio in praxi obtineat, ſed cum multo diſſenſu JCtorum, judicio ſubjuncto, quid ſentiendum ſit de praxi *legis 2.* in Ducatu Magdeburgico.

Negatur contra diſſentientes. Quamvis igitur *Uſ. mod. §. 1.* aſſerat, praxin *l. 2. C. de reſc. vendit.* a quotidiana experientia judiciorum in Germania doceri, haud dubie tamen loquitur de judiciis occultis, ut facile patet ex iis, quæ ſtatim ex Heigio ſunt excerpta, qui aſſerit, quod ſibi per 12. annos cauſarum deciſioni vacanti nullum exemplum læſionis quæ probari potuerit, contigerit, & quæ de renun-

nunciatione consveta hujus legis adduntur. Unde non opus erit disquirere de usu dictorum *ibid.* §. 2. *usque ad finem.*

TIT. VI.

De periculo & commodo rei venditæ.

SUMMARIA.

An etiam apud Germanos periculum sit emtoris? Exceptio juris Magdeburgici an in Saxonia obtineat?

An etiam apud Germanos periculum sit emtoris?

Regula, quod periculum rei venditæ emtoris esse debeat, est juris gentium, quoniam regula, quod res pereat suo domino, etiam secundum jus naturæ admittit limitationem, nisi sit debitor speciei. Quare etiam illa apud Germanos jam ante receptum jus Justinianeum in usu fuit. Schilt. *Exerc. XXX.* §. 107. Conf. *Us. mod.* §. 1. Neque consilium approbandum principibus *ibid.* datum, ut nescio quem rigorem hujus regulæ temperent, uti enim durities casus *ibidem in fine* formati, videtur esse valde dubia, ita casus ille est rarissimus, & pietas in præcedentibus lineis commendata pertinet ad *cap. 1.* dissertationis nostræ *de æquitate cerebrina l. 2. C. de resc. vend.*

Exceptio juris Magdeburgici an in Saxonia obtineat?

Etsi autem regulariter statim periculum ad emtorem transeat, postquam perfecta est emtio venditio, speciale tamen est in Ducatu Magdeburgico, quod ante resignationem judicialiter factam periculum adhuc sit venditoris. Putant id quidem nonnulli etiam in Saxonia obtinere. Sed rectius id negat *Us. mod.* §. *ult.* Ceterum non mirandum, singulare hoc in ordinatione nostra politica constitutum esse, quia autores ejus

quan-

quandoque singularia quædam juris principia secuti sunt.

TIT. VII.

De servis exportandis &c.

CUm pacta in servorum venditione adjici solita ad fori Germanici praxin nihil faciant, ideo nec theoria hujus tituli usum habet magnum. Schilter. *Exerc. XXX. §. 118.* Neque usus tituli esse poterit in vendito homine proprio *Us. mod. hic*, quia homines proprii non venduntur absque prædio; neque in Turcis venditis, ad quos provocat Schöpferus, a nostratibus talia pacta adjici solent.

An usus tit. in hominibus propriis aut Turcis venditis?

LIB. XIX.

TIT. I.

De actionibus emti & venditi.

SUMMARIA.

An tributa futura in se recipere possit venditor? An usus tituli? An hic differat jus Rom. & Germanicum in præstatione culpæ?

NUllum est dubium, quod venditor rei immobilis tributa futura in præjudicium fisci in se suscipere non possit, quia fiscus ea a possessoribus exigit. Quod paciscentes attinet, est quidem hoc pactum non absolute iniquum, sed tamen moribus plerorumque locorum censetur sæpius non parum iniquitatis habere admixtum. Conf. D. Beyer. *posit. 28. seq.* Schöpfer. *n. 10.*

An tributa futura in se recipere possit venditor?

An usus tituli? An differat jus Rom. & Germ. in præstatione culpæ?

De USU forensi hujus tituli non dubitandum, quia contenta ejus tantum non omnia sunt juris gentium. Et quæ de præstatione culpæ in hoc contractu dicuntur, etiam non differunt ab usu Germaniæ, quia supra notavimus, Germanos unam saltem culpam in omnibus contractibus agnoscere, culpæ levi Romanorum, qua levissimæ opponitur, correspondentem, nisi forte in eo sit differentia, quod jure Germanico venditor secundum regulam communem debeat majorem diligentiam adhibere in re vendita, quam in rebus propriis, per ibidem dicta. Conf. Jus Svevic. *art. 248.*

TIT. II.

Locati conducti.

SUMMARIA.

Quid circa relocationem attendendum? Quam culpam præstet conductor? An successor singularis conductorem possit expellere? An rescindenda conductio ob metum spectrorum? An doctrina Romana hujus tituli in usu? Quid apud Germanos peculiare?

Quid circa relocationem attendendum?

RElocationis materiam communiter explicant ex *l. 13. ff. h. t.* atque distinctionem faciunt inter prædia urbana & rustica, item inter locationem in scriptis celebratam, & absque scriptura contractam; vid. *Us. mod. h. t. §. 68. seqq.* Conf. D. Beyer. *ad Pand. posit. 6. seq.* Verum cum nihilominus mores locorum diversos esse, omnes fateantur, *Us. mod. §. 68. circa finem*, it. *§ 53.* Hoppius *ad Inst. h. t. n. 1. in fine & in Usu hod.* facile patet, quid de usu dictæ *l. 13.* sentiendum sit; Ut de dissensu circa explicationem ipsius legis nihil dicam.

In

In locatione conductione ab utraque parte præstatur culpa levis. Magnus tamen est veterum JCtorum in hac doctrina dissensus, ut latius docui in dissertatione *de usu practico doctrinæ de culparum præstatione c. 1. §. 22.* *Quam culpam præstet conductor?*

An successor singularis conductorem expellere possit ante finitum locationis tempus, disputatum fuit inter Zollium & Zaunschlifferum, illo negativam, hoc affirmativam tanquam in foro receptiorem defendente; Totam controversiam recenset & Zollii opinionem in puncto juris potiorem esse putat D. Beyer. *ad h. t. post positionem 30. Us. mod. §. 81.* *An successor singularis conductorem possit expellere?*

Quod ob metum spectrorum rescindi possit conductio, haud dubie est inventum, quod Clero Pontificio debetur. Unde non mirandum, quod etiam disquisitio hujus quæstionis ad judicem non laicum sed ecclesiasticum pertinere doctum fuerit, quia interfuit Cleri, ne Laici fabulas pias de spectris, aliis laicis detegerent. Ostendimus autem dissertatione peculiari *de non rescindendo contractu conductionis ob metum spectrorum*, de existentia spectrorum ædes infestantium valde dubitari, & etiamsi ea supponatur, metum spectrorum tamen non cadere in virum constantem, omnium minime vero apud Evangelicæ religioni addictos, adeoque nec ob talem metum rescindi posse conductionem ædium. Simul quoque ad dissentientium argumenta respondetur, ac rarus hujus quæstionis usus in foro indicatur, subjuncto unico exemplo sententiæ, qua metus spectrorum pro vano fuit declaratus. Conf. *Us. mod. §. 82.* *An rescindenda conductio ob metum spectrorum?*

Ceterum etsi locatio conductio sit contractus ju- *An doctrina*

 ris

Romana h. t. in usu? ris gentium, multa tamen ibi sunt immixta ad jus Romanum in specie pertinentia, neque apta ad mores Germanorum. Ita quæstiones de mercede in pecunia numerata consistente, de operis locari solitis &c. jure Romano eum habebant usum, partim ut constaret, quænam formula actionis danda esset, partim ut præstatio culpæ determinari posset, partim ut constaret, an pœnitentia locum haberet, nec ne. Sed MORIBUS Germaniæ earum nullus est usus, partim, quia secundum Germanos neque in contractibus innominatis pœnitentiæ locus est, partim quia ignorant certas actionum formulas, partim quia secundum eos una culpa in omnibus contractibus præstanda. Conf. D. Beyerum *hic post positionem 25.* Unde conductor eandem præstat culpam, quam commodatarius. Spec. Svevic. *cap. 244. & 245.* Schilter. *Exerc. XXXI. th. 32. seq.*

Quid apud Germanos peculiare? Interim Germani habuerunt etiam suas locationes conductiones peculiaribus qualitatibus, Romanis ignotis, præditas v. g. Churmede / Landsiedeley / Erbpacht / Meyergüter / Eisern Vieh etc. quas JCti Germani ex nimio studio juris Romani vel ignorare cœperunt, vel ex jure Romano explicando corruperunt, & jus incertum introduxerunt. Multa de his congesserunt *Us. mod. §. 8. & multis sequentibus*, aliique. Sed hic ante omnia danda opera, ut non adhibeatur nimia diligentia in colligendis locis communibus ex variis autoribus, sed potius, ut ordinentur jam collecta, distinguantur confusa, indicentur male distincta. Et postulat laborem Herculeum istud Augiæ stabulum.

TIT.

TIT. III.

De æstimatoria.

SUMMARIA.

An contractus innominati Romanorum & facultas pœnitendi apud nos in usu? Ad quem pertineat periculum in contractu æstimatorio, apud Romanos? cujus sit periculum & lucrum apud Germanos?

DIfferentia inter contractus innominatos & nominatos orta ex jure Quiritium Flaviano atque formulario ignota fuit moribus Teutonicis, & hodienum nondum est recepta, frustra dissentiente Carpzovio. *Us. mod.* §. 2. & 3. Igitur contractus, qui jure Romano pro innominatis & realibus habebantur, moribus Germanorum sunt consensuales, & pœnitentia in iis non habet locum, imo plerique eorum pro nominatis erunt habendi. Schilter. *Exerc. XXXII.* §. 11. D. Beyer. *ad h. t.* Ergo nec distinctio inter regulares & irregulares usum habet practicum. D. Beyer. *ibid.* *An contractus innominati Rom. & facultas pœnitendi apud nos in usu?*

Quod contractum æstimatorium in specie attinet, mire sudant doctores in conciliandis duobus textibus Ulpiani, *l. 1. §. 1. h. t.* & *l. 17. §. 1. de P. V.* quarum prima generaliter periculum accipienti adjudicat, altera autem sub limitatione, si accipiens dantem rogavit. *Us. mod.* §. 5. & 6. Schilter. *Exerc. XXXII.* §. 7. Quicquid autem sit de conciliatione harum duarum legum, jure Germanico verius est, periculum furti pertinere ad accipientem, æque ut in mandato & locatione. Spec. Svevic. *c. 247. junct. cap. 245.* atque adeo etiam sine distinctione, utrum dans, an accipiens alterum rogave- *Ad quem pertineat periculum in contractu æstimatorio apud Romanos? Cujus sit periculum & lucrum ap. Germanos?*

 rit,

rit, lucrum pertinebit ad accipientem, cum utrobique sit ejus periculum. Conf. *Us. mod.* §. *ult.* Dissentit Schöpfer. *hic in fine.* Nulla quoque est differentia quorundam apud eundem Schöpferum *n. 12.* utrum dictum sit: vende tanti, an: cura ut tanti vendas.

TIT. IV.

De rerum permutatione.

SUMMARIA.

An permutatio Romana in usu? An eo pertineat cambium?

An permutatio Romana in usu?

QUatenus permutatio erat contractus innominatus, eatenus nullum ejus esse usum in foris Germanorum, fluit ex præcedentibus. Dissentientibus respondet *Usus modernus* §. *1. 2. 3.*

An eo pertineat cambium?

Cambium vero quod attinet, etsi quoad naturam permutationis generalem & quatenus est juris gentium, possit ad permutationem referri, revera tamen est contractus noviorum temporum ex Italia in Germaniam translatus. De ejus natura adde *Us. mod.* §. *4. seq.*

TIT. V.

De præscriptis verbis & in factum actionibus.

An actiones præscriptis verbis & in factum in usu?

ETiam ex præcedentibus fluit, quod moribus Germaniæ nullus sit usus practicus nec actionis præscriptis verbis, nec differentiæ inter eam & actiones in factum, ac inter varias actionis in factum species, per tradita D. Beyeri *ad h. t.* Unde facile patet, quid respondendum sit dissentientibus, quasi titulus

præsens

præsens hodie in foro sit frequentissimus, quia in omnibus actionibus hodie actio in factum inveniat locum. *Us. mod. hic.*

LIB. XX.

TIT. I.

De pignoribus & hypothecis.

SUMMARIA.

Differentia juris Rom. & Saxonici de dominio pignoris. Cur oppignoratio immobilium judicialiter fiat in Saxonia? An sub mobilibus comprehendantur nomina? Differentiæ pignoris & actionum hypothecariarum inutiles & utiles. An usus quæstionis de formando petito in actione hypothecaria. De usu tituli remissive.

DOminium rei oppignoratæ de jure Romano non transit ad creditorem, sed manet debitoris per ea, quæ tradit *Us. mod.* §. 2. *hic.* Aliud obtinet jure Saxonico, ut clare indicant textus Speculi Saxonici, citati *Us. mod.* §. 3. Quæ vero *ibi* §. 5. adduntur, quod in locis extra Saxoniam Electoralem verba Speculi Saxonici restringenda sint ad equos, & pecudes, non quadrant ad textum *lib. 2. art 24.* qui inprimis de immobilibus etiam est intelligendus. *Differentia juris Rom. & Sax. de dominio pignoris.*

Ad oppignorationem rerum immobilium in Saxonia requiritur, ut ea fiat judicialiter, *Constit. Electoral. 23. P. 2.* quod tamen non ita intelligendum, ac si hypotheca extrajudicialis non valeret intuitu creditoris & debitoris, inter hos enim obligatio omnino valet, *Cur oppignoratio immobilium judicialiter fiat in Saxonia?*

let, ſed judicialis confirmatio neceſſaria eſt ſaltem intuitu prælationis in concurſu. *Uſ. mod.* §. *11.*

An ſub mobilibus comprehendantur nomina?

Si generalis bonorum omnium hypotheca conſtituatur, eique ſubjungatur mentio mobilium, quærunt Dd. utrum & nomina tunc ſub obligatione hypothecaria comprehendantur. Communem eſſe ſententiam, eo caſu nomina non obligata eſſe creditori, dicit *Uſ. mod.* §. *15.* Sed quemadmodum jure Saxonico iſta ſententia exceptionem patitur, ita eidem obſtat, quod etiam ſecundum principia juris Romani jura pro diverſis circumſtantiis modo ad immobilia, modo ad mobilia (ut inprimis nomina) referri ſoleant.

Differentiæ pignoris & actionum hypothecariarium inutiles;

Uti autem in jure Romano variæ occurrunt pignoris diviſiones, ita plurimæ in foris Germanicis nullius ſunt uſus. Sic cum inter prætorem & judicem apud Germanos nulla unquam fuerit differentia, non erit etiam uſus forenſis diſtinctionis inter pignus Prætorium & judiciale. Imo etiam diſtinctio inter pignus publicum & privatum pene abſorpta eſt per diſtinctionem affinem inter pignus judiciale & extrajudiciale. Vid. Schilter. *Exerc. XXXIII.* §. *8. ſeq.* Nullus etiam eſt uſus practicus differentiæ inter actionem Servianam & quaſi Servianam, imo vix ſupereſt uſus theoreticus. Vid. D. Beyer. *poſt poſit. 25.*

Et utiles.

Magis notari meretur differentia inter actionem hypothecariam ſummariam & ordinariam. Vid. Schilter. *Exerc. XXXIII.* §. *17--27.* ubi & notabilia quoad probationem in hac actione recenſet. Conf. *Uſ. mod.* §. *3. de diſtract. pignor.*

An uſus quæſtionis de for-

Magnus denique eſt inter Dd. diſſenſus, utrum in actione hypothecaria contra tertium poſſeſſorem inſti-

instituenda petitum alternative (ut vel solvat, vel possessionem tradat) an vero simpliciter ad tradendam possessionem formari debeat? Verum ista quæstio non magnum habet usum in praxi, per tradita in *Us. mod. ad tit. de distract. pignor.* §. 2. Clausula enim salutaris adjecta hunc etiam defectum sanat, si scilicet alternativa petitio formata sit. *mando petito in actione hypothecaria?*

Reliqua, quæ de USU hujus tituli monenda sunt repeti possunt ex supra dictis *ad tit. de pignoratitia actione.* *De usu tituli remissive.*

TIT. II.

In quibus causis pignus vel hypotheca tacite contrahatur.

SUMMARIA.

Pignoris taciti divisio. An conventionalis frequentes || sint casus? Pignoris taciti legalis causa apud Germanos.

TAcitum pignus doctores dividunt in legale & conventionale. Conventionale equidem non in totum negabo, si scilicet verba conventionis aliam explicationem non patiantur, quorsum pertinet casus in *Us. mod.* §. 1. *hic* ex Mevio adductus, si debitor solutionem ex certis rebus fieri velit. Sed quoties hoc non obtinet, non facile est extendendum illud pignus tacitum conventionale. Unde dubitare licebit de altero casu ex Brunnemanno *ibid.* adducto, quia verba conventionis, daß Conductor wegen erweißlicher meliorationen &c. nicht einen Fuß breit aus dem Gut zu weichen schuldig / sondern solches in possessione zu behalten befugt seyn solle / etiam possunt exponi de *Pignoris taciti divisio. An conventionalis frequentes sint casus?*

jure retentionis, inter quod tamen & jus pignoris magna eſt differentia per tradita *ibid.* §. *6.* Ita in diſſertatione *de æquitate cerebrina l. 2. C. de reſc. vendit. cap. 1.* §. *ult. lit. qq.* adduxi reſponſum Facultatis noſtræ, quod noluit pignus tacitum conventionale agnoſcere, quod tamen in illo caſu agnoverat Facultas Juridica Gieſſenſis, cujus reſponſum retulit B. Hertius in diſſert. *de pign. convent. tacito.*

Pignoris taciti legalis cauſa apud Germanos. Legalis taciti pignoris cauſa conſtituens non ſolum ſunt leges, ſed etiam ſtatuta provincialia & jus conſvetudinarium. *Uſ. mod.* §. *5.* Recepit enim praxis Germanica quoad doctrinam taciti pignoris quidem jus Romanum, ſed ita tamen, ut ſubinde nova pignora tacita Romanis incognita adjiceret. Ita liberis indulſit hypothecam tacitam in bonis paternis etiam intuitu aliorum bonorum quam maternorum. *Uſ. mod.* §. *10.* Quod tamen ad pecuniam luſtricam extendere nolim ob dicta *ſupra ad tit. de peculio.* Ex dictis etiam dependet deciſio multarum quæſtionum ſimpliciter ideo negatarum, quia deficiat lex, in *Uſ. mod.* §. *7. ſeq.* in ſpecie de hypotheca tacita domini in bonis furis *ibid.* §. *19.* Conf. dicta ſuperius *ad tit. de condict. furtiva*; de collegiis opificum, an in bonis adminiſtratorum tacitam hypothecam habeant, *ibid.* §. *17.* conf. Schilter. *Exerc. XXXIII.* §. *28*; item de ruſticis intuitu pretii reſidui in bonis venditis. *ibid.* §. *20.* Schilter. §. *39.* modo conſvetudo adſit notoria aut legitimo modo probata, etiam deficiente ſtatuto.

TIT. III.

Quæ res pignori vel hypothecæ datæ obligari non poſſunt.

SUM-

SUMMARIA.

An convalescat oppignoratio rei alienæ, si dominus rei oppignoranti succedat? An usus tituli in genere? An ratione armorum, instrumentorum rusticorum & librorum oppignoratorum?

Circa quæstionem: an pignus rei alienæ convalescat, si dominus ei succedat, qui rem ipsius pignori dedit; inter JCtos Romanos & doctores magna est dissensio. Modestinus *l. 22. ff. de pignor.* utilem pignoratitiam creditori eo casu concedit; Paulus contra pignoris persecutionem creditori non concedendam esse ait *l. 41. de pignorat. act.* Vide *Us. mod.* §. 4. ubi & variæ recensentur conciliationes harum legum, inter quas *ibid.* inprimis approbatur conciliatio Gothofredi ex verbis ultimis *legis 41.* ita ut eorum sensus sit: *ut & suo mendacio* (defunctus) *arguatur, improbe resistit* (heres). Sed & hæc conciliatio est contorta, quia *suum mendacium* in verbis Pauli haud dubie ad *heredem* est referendum. Unde malo agnoscere antinomiam inter Paulum & Modestinum, quamvis Modestini sententia sit æquior, approbata etiam in *l. 5. C. si al. res pign. dat.* Vide *notata ad Strauchium diss. 13. th. 22.*

An convalescat oppignoratio rei alienæ, si dominus rei oppignoranti succedat?

Regula ipsa de rebus alienis & alienare prohibitis non oppignorandis haud dubie in Germania in USU est, sed in conclusionibus juri Romano propriis, vel certe in ejus rationibus variat usus practicus. Nam quod hodie v. g. milites arma non possint oppignorare, ratio est, quod milites nostri sint mercenarii, & ita arma eorum considerentur tanquam res alienæ. Ita apud nos non est recepta pœna infamiæ & quadru-

An usus tituli in genere? An ratione armorum, instrumentorum rusticorum?

 pli

pli dictata creditoribus in *Authent. Agricult. C. hic* instrumenta rustica in pignus accipientibus, quin potius in ea in subsidium fit executio.

Et librorum oppignoratorum?

Unde & inepte argumentantur ab armis militum quidam doctores ad libros studiosorum, quia libri studiosorum non sunt res alienæ, ut arma militum nostrorum, & quia Germani magis comparant libros studiosorum cum instrumentis rusticis juxta dictum vulgare, die Feder ist mein Pflug. Conf. *Us. mod.* §. *5.*

TIT. IV.

Qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur, & de his, qui in creditorum locum succedunt.

An hic tit. receptus? Unde casuum huc pertinentium decisio petenda?

Receperunt quidem Germani in praxi & hunc titulum. Sed cum varii sint casus, ubi interpretes in ejus applicatione dissentiunt, tutius studiosi hac parte remittuntur ad singularum provinciarum Ordinationes judiciales. Conf. Schilter. *Exerc. XXXIII.* §. *32. seq.* D. Beyer. *ad h. t.* Conf. quæ supra. de usu distinctionis inter hypothecam publicam & privatam diximus *ad lib. hujus tit. 1.*

TIT. V.

De distractione pignorum & hypothecarum.

An usus tituli jure veteri Germanico? An hodierno?

De jure veteri Germanorum, ubi possessor pignoris habebat etiam dominium utile, & ubi obtinebat, Hand muß Hand wahren / dispositiones juris Romani de distractione pignorum plane non

non inveniebant locum, ſed attendebatur ſaltem, utrum in conſtituto pignore certum tempus ad reluitionem eſſet determinatum, an vero absque determinatione temporis ad reluendum deſtinati pignus traditum fuerit; priori caſu finito tempore res in commiſſum cadebat, atque poſtea vendi poterat absque reſtitutione pretii ſuperantis, pendente vero tempore etiam jus creditoris in pignore vendi poterat; altero vero caſu licebat creditori tantum jus pignoris vendere. Vid. Diſſert. *de uſu pract. diſtinctionis inter emtionem cum pacto de retrovendendo & contract. pignoratitium cap. 2. §. 13--16. collat. cum §. 30.* conf. dicta *ad Inſtit. §. 1. quibus alienare licet vel non p. 167.* De USU autem hujus tituli hodierno idem monitum repetendum, quod dedimus *ad tit. præced.* Conf. & *Uſ. mod. hic.*

TIT. VI.

Quibus modis pignus vel hypotheca ſolvitur.

CUm contenta hujus tituli pleraque in evidenti naturali ratione ſint fundata, haud dubie etiam recepta ſunt in foris Germaniæ. *An h. t. in uſu?*

LIB. XXI.

TIT. I.

De ædilitio edicto, & redhibitione, & quanti minoris.

SUMMARIA.

Ædilitium edictum de quibus rebus & vitiis agat? || *An in locatione locum habeat? An ejus rigor apud*

Germanos in usu? Quod negatur, tum propter non probatam receptionem & æquitatem naturalem edicti, tum propter dissentientium confessionem de non usu ratione mancipiorum. An venditor propter dolum teneatur, si vitium sit patens, & si protestetur, quod de vitio nolit teneri? Lis inanis de redbibitione rei immobilis ab emtore mutatæ. An pœna dupli in usu?

Ædilitium edictum de quibus rebus & vitiis agat?

ÆDilitium edictum potissimum respicit venditionem mancipiorum & jumentorum aliarumque pecudum & quidem de morbis ac vitiis corporis, non animi, agit. Unde multis subtilibus quæstionibus sæpius æquitatem cerebrinam pro fundamento decisionis supponentibus hic operam dederunt JCti, etiam Romani, multo magis autem hodierni, (uti inprimis videri potest ex Joh. Wilh. Rövenstrunck *meditationibus ædilitiis*) qui adeo caute usurpandi. Etsi autem in *l. 1. pr. h.* dicatur, edictum hoc etiam ad res soli seu immobiles pertinere, attamen præter duos casus *l. 49. & l. 61. hic*, si fundus pestilens vel servitute oneratus venditus sit, alii vix dabiles aut certe rariores sunt. Nam fundi & ædificia proprie nec vitiis corporis, nec morbis laborant. Historiam ædilitiarum actionum exponit Schilter. *Exerc. XXXIV. §. 2.* & in summa D. Beyer *initio hujus tituli.*

An in locatione locum habeat?

Quod in locatione conductione edictum hoc non locum habeat, asserit Ulpianus in *l. 62. hic.* Contrarium defendere voluit Cujacius, quem alii sequuntur. Verum esse hic saltem litem de nomine actionis docet Schilter. in *Exeerc. citat. §. 8. seq.* Confer. D. Beyer. *posit. 13. Us. mod. §. 4.*

Jure

Jure GERMANICO ante receptum jus Justinianeum actiones datæ fuerunt intuitu equorum ob tria saltem vitia, wenn es stetig/ starblind und haarschlechtig war / Weichbild. *art. 97.* Postea vero rigor ædilitii edicti in foris nostris nunquam est receptus, ut scilicet redhibitoria vel æstimatoria actio de quocunque vitio jure civili hic memorato, etiam quod ignoraverit venditor, locum habeat. Ergo moribus nostris prudentis emptoris erit, ut de cæteris vitiis cautionem exigat a venditore, quam si venditor detrectet, & emtor tamen emat, sibi hic imputet. Schilter. *d. l.* §. *15.* D. Beyer. *posit. 1. & 2.* Adde disput. nostr. *de usu actionum pœnalium c. 3.* §. *33.* ubi & de non usu *l. 45. ff. h. t.* quæ de duplici condemnatione actionis redhibitoriæ agit. Considerand a tamen erunt statuta varia & ordinationes politicæ Germanorum passim excerptæ in *Us. mod, h. t.* *An ejus rigor apud Germanos in usu?*

Nec obstat hactenus dictis, quod in provinciis & civitatibus, ubi aliud in specie non sit constitutum, jure communi standum sit. Nam hæc assertio petit principium, quasi omnia juris Romani hodie valeant, si non sint abrogata. Quod vero additur, ædilitium edictum ob æquitatem & justitiam se maxime commendare *l. 1.* §. *2. h. t.* occurrens videlicet emtionibus fraudulentis, quod sine dubio ad artem boni & æqui referri mereatur, *Us. mod.* §. *2. & 19.* eatenus saltem verum est, quatenus coërcetur dolus venditorum. At vero addit Ulpianus *d. l. 1.* §. *2.* obligari etiam venditores ad vitia ignorata. Atque hoc intuitu dispositio mere civilis est, & receptio probanda. *Quod negatur, tum propter non probatam receptionem & æquitatem naturalem edicti.*

Adde, quod ea, quæ de venditione mancipiorum *Tum propter*

dissentientium confessionem de non usu ratione mancipiorum.

rum hic disponuntur, concedantur usum non habere apud Germanos, quia scilicet venditiones mancipiorum apud nos admodum raræ sint, *Us. mod.* §. *12. in fine.* Imo & homines proprii Germanorum ad alia officia adhibentur, quam servi Romanorum. Unde rideretur haud dubie, si quis actionem redhibitoriam vellet instituere, propterea quod v. g. homini proprio os oleat ex corporis vitio *l. 12.* §. *4. h. t.* aut quod urinam in lecto faciat propter vitium vesicæ *l. 14.* §. *4. eod.*

An venditor propter dolum teneatur, si vitium sit patens?

Hinc etiam facile judicari potest de usu assertionis, quod scilicet venditor etiam teneatur propter vitium patens, quia scilicet in dolo sit. *Us. mod.* §. *8.* Hic enim iterum petitur principium. Quid enim opus est dicere vitia, quæ patent? Aliud est, si dolose vitium fuerit occultatum. Ita v. g. scio Lipsiæ condemnatum fuisse venditorem equi claudi, qui ante venditionem equum concitato cursu agitaverat, ut emtor vitium non posset animadvertere.

Et si protestetur, quod de vitio nolit teneri.

Pari ratione judicium ferri poterit de assertione, quod venditor sciens vitium, & protestatus tamen, quod de eo nolit teneri, nihilominus teneatur propter dolum. *Us. mod.* §. *10.* Neque enim ea probatur per *l. 14.* §. *9. h. t.* Et casus non est dabilis de protestante venditore super certo vitio, qui tamen sit in bona fide.

Lis inanis de redhibitione rei immobilis ab emtore mutatæ?

Videtur etiam parum utilis esse dissensio inter Schilterum & Carpzovium de casu, an venditor teneatur recipere das verkauffte Wohnhaus / wenn es in ein Brauhaus mutiret worden / recitata in *Us. mod.* §. *20.* Ratio peti potest ex dictis supra *sub initio hujus tituli.*

An pœna dupli in usu?

Alteram partem ædilitii edicti de pœna dupli, de qua

qua agitur *l. 40. 41. 42. h. t.* jam notavimus non esse in usu *ad Institutiones §. 1. si quadr. paup. fec. dic. p. 268.* Conf. *Us. mod. §. 53. seq.*

TIT. II.

De evictionibus & duplæ stipulatione.

SUMMARIA.

An usus doctrinæ de evictionibus? An dupli stipulatio recepta?

PLeraque in hoc titulo fluunt ex natura negotiorum, & evidente jure naturali, unde haud dubie sunt USUS fere quotidiani. Atque adeo cum dictis aliorum doctorum conferendus erit *Usus modernus* multa præjudicia suppeditans. *An usus doctrinæ de evictionibus?*

Id vero peculiare erat Romanis, quod stipulatio dupli ratione evictionis posset etiam exigi a venditore perfecta jam emtione. Quæ stipulatio dupli MORIBUS Germanorum non est recepta. Schilter. *Exerc. XXXIV. §. 20.* D. Beyer. *posit. 4.* *An duplæ stipulatio recepta?*

TIT. III.

De exceptione rei venditæ & traditæ.

ET hic titulus receptus est, adeoque recessum hic a veteri jure Saxonico, quod jubebat, venditori, cui emtor litem denunciaverat, interim possessionem rei, de qua ligitabatur, in possessionem tradere. Schilter. *Exerc. XXXIV. §. 27. 28.* *Usus tituli. Non-usus juris Saxonici.*

Ff LIB.

LIB. XXII.

TIT. I.

De usuris & fructibus, & causis, & omnibus accessionibus, & mora.

SUMMARIA.

Commendatur Noodtius. Usurarum justitia probatur. Contraria opinio quomodo stabilita & in Germaniam introducta fuerit? Contractus usurarii juris Canonici. Rigor hujus juris sublatus per Recessus Imperii. Ejus reliquiæ apud Protestantes. An liceat a mercatoribus accipere usuras majores? Anatocismus cur apud Romanos probibitus? An apud nos permittatur? Usuræ ultra alterum tantum an contineant usurariam pravitatem? An reditus annui ultra usuras quincunces in sortem computandi?

Commendatur Noodtius. DOctrinam hujus & sequentis tituli, quantum ad moralitatem & antiquitates Romanas attinet, post infinitorum doctorum confusiones infinitas (quorsum pertinent etiam tractatus Salmasii tres *de usuris*, *de modo usurarum*, & *de fœnere nautico*) omnium optime exposuit Gerhard. Noodt tractatu *de fœnore & usuris* Lugd. Batav. 1698. edito.

Usurarum justitia probatur. Scilicet quemadmodum evidens est, de rebus non fungibilibus & earum usu posse dari mercedem, ita etiam evidens est, de usu rerum non fungibilium posse salvis regulis justitiæ postulari fœnus vel usuras. Quia tamen occasione fœnoris vel usurarum, si respublica non vigilet, poterunt multi abusus oriri, ut vel exemplum Romanæ reipublicæ post ejectos Reges docet, (conf.

(conf. *Us. mod.* §. 1.) poterit conventio & præstatio usuraria variis cancellis coërceri, quod etiam legibus Romanis factum est, *l. 26. §. 1. C. h. t.*

Contraria opinio quomodo stabilita & in Germaniam introducta fuerit?

Sed fuerunt tamen, qui omnem usuram putarunt esse illicitam, per ratiunculas & torturas textuum scripturæ sacræ, indicatas ac refutatas evidentissime a Noodtio *dict. tract. lib. 1.* Cum vero inter eos non solum ex gentilibus Cato, Aristoteles, Seneca fuerint, sed & ex Christianis Patres Ecclesiæ, Lactantius, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus (Noodt *lib. 1. c. 4.*) error ille postea pro articulo fidei fuit habitus & canonizatus. Postquam igitur jus Canonicum in Germaniam introductum fuit, cœpit etiam in Germania firmiter credi, omnem usuram esse peccatum. Vide Capitul. juris Svevici adductum a Schiltero *Exerc. XXII. §. 11.*

Contractus usurarii juris Canonici.

Sed ipse tamen Clerus Pontificius ex cupiditate usuraria invenit varios contractus revera usurarios, sed palliatos, ut emtionem annuorum redituum, mohatram (de quo vid. *Us. mod. §. 4. & 21.*) &c. quos postea imitati sunt Laici alia adhuc genera excogitantes, quorum non pauca recensentur in Recessibus Imperii allegatis & explicatis in *Us. mod. §. 20. seqq.*

Rigor hujus juris sublatus per Rec. Imp. Ejus reliquiæ apud Protestantes.

Igitur Imperator & Status Imperii aliquo modo olfacientes errorem illum juris Canonici, directo concesserunt usuras, sed moderatas, *Rec. Imp. 1530. §. 26. & aliis sequentibus.* Vide Schilterum *Exerc. XXII. §. 5. usque ad §. 13.* Non tamen plane purgata fuere fora Protestantium a fæcibus Papismi, ut videre est ex iis, quæ tradit D. Beyerus *hic posit. 33. & 37.* Conf. *Usum modern. §. 46. & 49.* In Belgio Voetiani adhuc defendunt rigo-

 rem

res juris Canonici in materia usurarum, unde occasio data variis scriptis theologicis pariter & juridicis pro & contra usuras, vid. e. g. Martini Schookii *Exercitationes varias Exerc. 28. de Usura Trapezitica. Defense des sentiments de Lactance sur le sujet de l'usure*, quæ prodiit Paris. 1677.

An liceat a mercatoribus accipere usuras majores?

Porro jure Germanico mercatores intuitu usurarum acquirendarum non possunt petere secundum dispositionem dictæ *l. 26. C.* usuras bessales. Vide citatos a Schöpfero *hic n. 13.* Ab ipsis vero mercatoribus & omnibus, qui in negotiis mercaturæ affinibus offerunt usuras majores lucrum captantibus, non quidem exigi, sed accipi possunt, absque metu criminis usurarii, ut quotidiana testatur experientia, publice usuras quinquagesimas, aut paulo minores promitti & acceptari absque metu usurariæ pravitatis. Alia quæstio est, an prudenter id fiat. Unde facile responderi potest dissentienti *Usui mod.* §. *14.* Nam quæ primo afferuntur, quod lex generalis non abroget legem specialem præcedentem, sapiunt hypothesin toties rejectam, quasi juris Romani abrogatio in Germania sit docenda. Quæ vero sequuntur, confundunt quæstionem de dandis a mercatoribus usuris, cum quæstione de acquirendis.

Anatocismus cur apud Romanos prohibitus? An apud nos permittatur?

Porro jure naturæ anatocismus in se nihil vitii habet, sed quia tamen non mutata debitoris persona occasio nascitur, inopes re usuraria obruendi, non sine gravi causa anatocismus apud Romanos jam tempore Ciceronis fuit prohibitus, & pie etiam apud nos prohibitus esse censetur, modo non cesset ratio allata. Inde apud nos versura, id est debitum novum sub usuris con-

contractum ad solvendas usuras tertio debitas, crimen non est, etsi fuerit olim apud Romanos. Inde inter mercatores quotidie anatocismus habetur pro non illicito. Inde etiam dissensus Dd. an, si mutetur creditor, ut fit in delegatione, crimen annatocismi committatur, item an separatus anatocismus etiam, an saltem conjunctus sit illicitus. Confer. Schilter. *Exerc. XXXV.* §. 2. D. Beyer. *hic posit. 12. usque ad 28.*

Usuræ ultra alterum tantum an contineant usurariam pravitatem?

De usuris ultra alterum tantum ita tenendum, falli doctores, qui putant, sub iis latere usurariam pravitatem, sed potius res dependet ab arbitrio principis. Hoc vero sæpe variat, uti ipse Justinianus variavit; Hinc non mirandum, quod etiam varient practici in quæstione, quænam lex Justiniani sit recepta, an *Novella 121. c. 1.* an *l. 10. C. h. t.* Interim simplicissima est doctrina, si dicamus, usuras ultra alterum tantum non currere, unico saltem casu, si nec debitor eas quotannis solvit, nec creditor eum de earum solutione interpellavit. Nam aliorum limitationes tollunt prope regulam, aut distinctiones adhibitas, ut prima apud Schöpferum *hic n. 18.* quod scilicet possint usuræ ultra alterum tantum peti, ut interesse. Conf. *Us. mod.* §. *16.* Schilter. *Exerc. XXXV. th. 11.* D. Beyer. *posit. 9. 10.*

An reditus annui ultra usuras quincunces in sortem computandi.

Notandus etiam est fons dissensionis Dd. in quæstione, an reditus annui, qui excedunt usuras quincunces, sint in sortem imputandi. Affirmativa nititur ratione: quod annui reditus videantur esse inventi in fraudem usurarum prohibitarum. Negativa, quod tamen magna sit differentia inter usuras & annuos reditus. Vide Schöpfer. *n. 24.* Adde Schilter. *Exerc. XXII.* §. *13.* & *Exerc. XXXV.* §. *13.*

TIT. II.

De nautico fœnore.

Unde hodie casus h. t. decidendi?

MORIBUS quoad usum hujus tituli neque ad jus Canonicum, neque ad jus civile, sed ad maritimas consvetudines respiciendum, *Us. mod.* §. 1. Idem etiam dicendum de iis, quæ quoad æstimationem casus notata sunt in *Us. mod.* §. 5. & 7. utpote quæ etiam ex moribus emporiorum & contractibus assecurationis dependent.

TIT. III.

De probationibus & præsumtionibus.

SUMMARIA.

Erronea explicatio probationis artificialis & inartificialis. Origo & usus hujus divisionis; Item divisionis in probationem plenam & semiplenam. Doctrinæ de præsumtionibus emendatio. Differentia probationis & demonstrationis.

Erronea explicatio probationis artificialis & inartificialis. Origo & usus hujus divisionis.

DOctorum explicatio communis de differentia probationis artificialis & inartificialis in eo dubia est, quod etiam artificialis regulariter fiat per testes & instrumenta. Quare ita dicendum quoad USUM practicum. Vel testes & instrumenta immediate probant id, quod asseritur in libello, v. g. Titium a me mutuo accepisse centum, vel præbent saltem argumentum probationis, v. g. si asseram in libello, ædes a reo possessas meas esse, & testes probent, patrem ædes ædificasse, instrumentum vero probet, me filium esse, aut a patre in testamento heredem institutum.

Pri-

Prior probatio inartificialis est, posterior artificialis. Aliter D. Beyerus *hic posit. 4. seq.* Non tamen diffitendum, Dd. hanc divisionem sumsisse a JCtis Romanis, sed eam ob non intellectas antiquitates Romanas in expositione & applicatione valde corrupisse. Vide omnino Quintilianum *Instit. Orator. lib. 5. cap. 1.* Unde, ob negligentiam artis oratoriæ veterum, fere exulat in usu forensi probatio vere artificialis, & parum aptum exemplum probationis hujus est, quod vulgo dare solent: Peperit, ergo non est virgo. Adde dissert. nostr. *de perpetuitate debitor. pecun. §. 22. lit. d.* Specimen jurisprud. judicialis *c. 6. p. 60.*

Distinctio probationis in plenam & minus plenam in jure Romano non est fundata, sed inventum juris Canonici, in foro tamen usus quotidiani. Vide Huberum *ad h. t.* & ibi *novas additiones.* Adde *Us. mod. §. 1. & 2.* *Item divisionis in probationem plenam & semiplenam.*

Denique de divisione præsumtionum in præsumtionem hominis & legis, & hujus in juris tantum & juris & de jure, etiam notandum, & hanc divisionem opus habere emendatione, quam tentavit D. Beyerus *hic post posit. 46.* *Doctrinæ de præsumtionibus emendatio.*

De differentia usus forensis inter probationem & demonstrationem **unter Beweiß und Bescheinigung** vide *Us. mod. §. 5. & 6.* Scilicet solennia probationis ratione termini, articulorum, interrogatoriorum, & publicationis rotuli, in demonstratione non requiruntur. *Differentia probationis & demonstrationis.*

TIT. IV.

De fide instrumentorum.

SUMMARIA.

Invocatio nominis divini || an in instrumentis Notariorum

rum necessaria? Publica instrumenta an recognoscenda? Vitium instrumenti in charta recenti scripti. Quo jure in foro circa hanc materiam utamur?

Invocatio nominis divini an in instrumentis Notariorum necessaria?

INter requisita instrumenti a Notario confecti primum est, ut invocatio nominis divini præmittatur, per constitutionem Maximiliani de Notariis; & quamdiu hæc non est abrogata, utique postulat officium Notarii, ut eam formulam adhibeat, uti ostendimus in dissert. *de natura precum juridicarum* §. 33. ubi & cautelæ suppeditantur de non confundendis aliis quæstionibus circa necessitatem hujus invocationis.

Publica instrumenta an recognoscenda?

Instrumenta publica recognitione partis adversæ non indigent, quia per se jam plenam fidem habent. Unde observantia contraria in Saxonia Electorali merito inter otiosas refertur in *Us. mod.* §. 4.

Vitium instrumenti in charta recenti scripti.

Vitia, quibus instrumenta vitiantur, varia sunt, & merito quoque ad ea refertur, si instrumentum pro antiquo venditatum in charta recenti scriptum, qualem casum adducit Struvius *Exerc. 28. th. 33.* Ita & in Facultate habuimus casum, ubi quis apocham produxerat in charta, post datum apochæ adjectum confecta, quod probabat pars adversa ex signo papyropæi, qui demum post illud datum artificio suo operam dare inceperat.

Quo jure in foro circa hanc materiam utamur?

Ceterum quæ jus civile Romanum habet de fide instrumentorum, fere sunt conclusiones ex jure gentium. At quoad USUM forensem pleraque, quæ hic tractari solent, ortum debent juri Canonico, Recessibus imperii, & moribus Germanorum peculiaribus, quorsum etiam referenda doctrina de probatione librorum mercatoriorum. *Us. mod.* §. 7. Reliqua servanda

ad le-

ad lectiones processuales. Confer. interim Schilter. *Exerc. XXXV. §. 17. seq.*

TIT. V.

De testibus.

SUMMARIA.

Quod jus hic sequamur? || principia naturalia & jus Ro- Conclusiones immerito ad || manum relatæ.

ETiam in materia testium cum ad processum spectet, magis sequimur jus Canonicum, quam jus Justinianeum. Etsi multæ propositiones hic etiam occurrant, quæ ex natura rei profluunt, & adeo æque apud nos, quam apud Romanos in usu sunt. *Quod jus hic sequamur?*

Non tamen omnia pro talibus habenda, quæ vulgo ad ea referuntur, v. g. quod testi injurato non sit credendum, vid. disp. *de fide juridica* §. 61. Quædam etiam in usu sunt ex non recte percepto sensu legum, v. g. quod testes sint examinandi remotis partibus. Qui error inde ortus fuit, quod leges dicant, testes examinandos esse in *secreto judicis*, postquam publice juraverint. Secretum enim judicis non excludit præsentiam partium. Quia tamen hæc interpretatio lucrum affert advocatis & judicibus, ideo fuit retenta. Plura huc pertinentia exposui in citata dissertatione *de fide juridica*, ubi & de illa quæstione actum, an, quæ in legibus de fide testium traduntur, sint regulæ proprie dictæ, an saltem simplices observationes prudentiæ. *Conclusiones immerito ad principia naturalia & jus Romanum relatæ.*

TIT. VI.

De juris & facti ignorantia.

SUMMARIA.

Casus hic obvenientes ex || doctrina morali dijudicandi.

Regulæ, quod noceat ignorantia juris, iniquitas apud Germanos. Exceptio hujus regulæ, si quis certet de damno vitando, non est universalis. An ignorantia juris excuset, quoad pœnam delicti jure naturæ prohibiti?

Casus hic obvenientes ex doctrina morali dijudicandi.

CUm omnes, quicunque etiam accuratissime regulas de juris & facti ignorantia tradiderunt, multas tamen limitationes ex aliis circumstantiis, iisque infinitis addere soleant, (vid. inprimis Schilterum *Exerc. XXXV. §. 28. ad §. 47.*) & ipsimet adeo JCti in legibus Pandectarum regulas suas & exceptiones formaverint ex dictamine rectæ rationis, & principiis moralibus, melius est, in hac doctrina remittere juventutem ad solidas doctrinas morales de imputatione actionum & de ignorantia aut errore vincibili & invincibili &c. quam ad autoritates humanas, aut regulas certas, quæ in hac circumstantiarum infinita varietate dari nequeunt. Conf. D. Beyerum *ad h. t.*

Regulæ: quod noceat juris ignorantia, iniquitas apud Germanos.

Ita apud Germanos ad personas, quibus juris ignorantia non nocet, referuntur quidem rustici & milites, verum juris ignorantia non solum mulieribus & rusticis non deberet nocere, sed omnibus, qui juri non dederunt operam, cum maximo damno reipublicæ receptæ sint leges in idiomate peregrino conceptæ. Nec obstare deberet, quod tamen JCtorum copia non desit, cum ipsi JCti sint de jure incertissimi, id est, infinite dissentientes. Adde *Us. mod. §. 1.*

Exceptio hujus regulæ, si quis certet de

Ita jam alii notarunt, eandem regulam, quod ignorantia juris non noceat, si quis versetur de damno vitando, universaliter non procedere. Nam v. g. etiamsi

quis

quis ignoret jus cognationis, tamen hereditatis petitionem lapsu temporis definiti amittet.

damno vitando, non est universalis.

Ita regula vulgaris, quod in pœnis infligendis non prosit ignorantia juris, si delictum sit jure naturali prohibitum, sed tum pœnam debere applicari, quæ vigeat in foro delicti commissi, varie vapulat. Nam (1) alibi ostensum est, omnem pœnam, etiam delictorum jure naturali prohibitorum, esse juris positivi. (2) Succurrit casus, qui olim Lipsiæ contigit, ubi quidam mercator Hamburgensis in adulterio deprehensus & confessus condemnabatur ad pœnam capitis. Reus paululum rusticior dicebat, sententiam latam esse a viris non probis, se enim optime scire, moribus Hamburgensium pœnam adulterii esse pecuniariam. Judices agnoscentes sinceram rusticitatem hominis & ignorantiam non affectatam, primam sententiam mutarunt in pœnam pecuniariam, quamis graviorem.

An ignorantia juris excuset, quoad pœnam delicti jure naturæ prohibiti?

LIB. XXIII.

TIT. I. & II.

De sponsalibus & ritu nuptiarum.

SUMMARIA.

Differentia juris civilis & Canonici in doctrina matrimoniali. Quis utriusque usus? Quo pertineat tractatio hujus doctrinæ? Disquisitio de pactis futurorum sponsaliorum **vom Jawort.**

CErtum est, & in confesso, quod in doctrina de sponsalibus, ritu nuptiarum & divortiis ac repudiis maxime differat jus canonicum a jure civili. Certum etiam est, in Germania apud Pontificios rece-

Differentia juris civilis & Canonici in doctrina matrimonia

li. Quis utriusque usus? receptum esse adhuc hodie in illis capitibus jus canonicum præ jure civili. Certum porro, apud Protestantes post reformationem in multis capitibus recessisse quidem Theologos a jure canonico, non tamen recepisse jus civile, sed substituisse jus Mosaicum & sententias Patrum Ecclesiæ, incertas tamen & variantes, ut vel ex Hieronymi Bruckneri *decisionibus matrimonialibus*, variorum item responsis in quæstionibus *de conjugio cum defunctæ uxoris sorore*, item *de conjugio eunuchi*, *de polygamia &c.* apparet.

Quo pertineat tractatio hujus doctrinæ?

Denique certum est, capita hæc in praxi Germaniæ magis pertinere ad jus publicum ecclesiasticum, quam ad jus privatum. Inde discussio illorum trium titulorum reservanda est lectionibus peculiaribus juris ris canonici vel ecclesiastici. Vide interim B. Strykii dissertationem *de juribus singularibus connubiorum in Germania* & D. J. S. Strykii dissertationem *de reliquiis sacramenti in matrimonialibus*. Confer etiam dicta *ad Institutiones tit. de nuptiis p. 38. seqq.*

Disqvisitio de pactis futurorum sponsaliorum vom Jawort.

Quod pacta futurorum sponsaliorum das Jawort attinet, uti communiter doctores de iis vel plane non vel confuse agere solent, ita distinctius ea consideravi in differt. *de pactis futurorum sponsaliorum*, atque ostendi, ea consistere in conventione mutua futuri sponsi & sponsæ, qua præcedente communiter sollicitatione ex parte sponsi vel per se, vel per alias personas, parentes sponsæ & ipsa etiam sponsa annuunt ejus desiderio, & annulos aut alias arrhas mutuo sibi tradunt, ea intentione, ut utraque pars contrahentium, subsecuta honesta conversatione, de alterius moribus certior fiat, vel etiam ut tractent de pactis dotalibus, &

tum,

tum, si constiterit de morum convenientia, vel etiam si de pactis dotalibus convenerint, ut sponsalibus rite celebratis sibi invicem fidem conjugalem, suo tempore benedictione sacerdotali & concubitu consummandam solenniter promittant. Unde deduxi, hæc pacta maxime differre a sponsalibus, atque in dubio pro iis magis quam pro sponsalibus stricte dictis esse præsumendum. Effectum autem eorum consistere in libertate pœnitendi sine expositione rationis, & regulariter absque metu pœnæ alicujus civilis. Denique originem & rationes indicavi, cur hisce tractatibus libertas pœnitendi in foris nostris ademta sit, cujus sententiæ vestigia etiam apparent in Responso in *U. M. h. t.* §. 2. verbis: **und ihm der** Mevius **zu** imputiren / **daß er nicht so fort seinen** Consensum **ertheilet / und also durch seine** repromission (per quam, uti ex contextu apparet, intelligitur **das Jawort**) **das** vinculum obligationis sponsalitiæ **befestiget** &c.

TIT. III.

De jure dotium.

SUMMARIA.

Dominium naturale dotis quid? An mariti dominium in res dotales sit utile? Dotis Germanorum & Romanorum differentia, & utriusque confusio. Divisio bonorum in dotalia, paraphernalia & receptitia an juris Romani? An usus distinctionis in dotem profectitiam & adventitiam, it. quæstionis de necessitate constituendæ dotis? An vidua cautionem præstare debeat ratione dotalitii? Donatio propter nuptias quid?

Dominium naturale dotis quid?

COmmunis est sententia uxorem in dote durante matrimonio habere dominium naturale, marito autem competere dominium civile. Sed verius est, illud dominium naturale esse figmentum Triboniani principiis juris non conveniens, nec usum practicum involvens, effictum saltem a Triboniano, ut ratiuncula aliqua palliaret decisionem, quod uxor etiam in rebus æstimato datis & pecunia dotali præferatur creditoribus, anteriorem hypothecam habentibus, *l. 30. C. h. t.*

An mariti dominium in res dotales sit utile?

Interim mariti dominium in res dotales durante matrimonio revera utile est. Etsi enim thesaurum non acquirat, in hoc tamen unico est differentia a reliquis dominiis utilibus, interim hæc differentia non est tanti, quam illa, quæ est inter jus mariti in dotem & usumfructum, utpote quæ ex natura dominii fluit. Adde, quod casus de thesauro rarissime contingat. Et præterea etiam Dd. non conveniunt circa quæstionem, an dominus utilis semper acquirat thesaurum. Conf. Struv. *Exerc. jur. feud. c. 12. aphor. 5.*

Dotis Germanorum & Romanorum differentia, & utriusque confusio.

Dotem Germanorum a dote Romanorum multis modis differre, ex Schiltero summatim docet D. Beyerus *ad h. t. initio.* Quod vero in fine illius observationis addit *p. 431.* jus Romanum hac parte ex plerorumque Dd. opinione & judiciorum usu nunc fere prævaluisse, non sic intelligendum, quasi doctrina de dote Romana abrogaverit doctrinam dotis Germanicæ, sed quod dos juris Romani in foro nostro simul sit recepta, & quod magni etiam JCti ob ignorantiam juris Germanici confundere soleant diversa juris Romani & Germanici principia, adeoque jura diversa & sæpe repugnan-

pugnantia miscuerint, & ex hac mixtura in praxi & ipsis rerum argumentis confusio sæpissime oriatur, vide Schilterum *Exerc. XXXVI.* §. *73. 75. 80. 86.* Inde jurisprudentia Germanica hic maxime est incerta, & maxime varians, & in quæstionibus plerisque perpetuus fere dissensus.

Divisio bonorum in dotalia, paraphernalia & receptitia an juris Romani?

Distinctio bonorum uxoris in dotalia, paraphernalia & receptitia magis debetur usui forensi, quam juri Romano. Receptitia plane ignorat jus Romanum. In paraphernalibus maritus jure Romano non habet regulariter usumfructum, vid. D. Beyer *d. l. p. 430.* Schilterum *Exerc. XXXVI.* § *66. seq.* §. *81. seq.*

An usus dist. in dotem profectitiam & adventitiam?

Etiam distinctionem dotis in profectitiam & adventitiam moribus Germanorum nullum habere usum forensem, recte notat D. Beyerus *post positionem 8.*

It. quæstionis de necessitate constituendæ dotis?

Item omnes quæstiones de necessitate dotis constituendæ ex parte patris aut matris sponsæ pertinent ad principia juris Romani, a quibus plane discrepant principia juris Germanici. Ergo hoc jure omnes illæ quæstiones sunt otiosæ, vid. Schilterum §. *75.* Adde D. Beyer. *post posit. 7.* (Dissentit *Usus mod.* §. *2* *h. t.*) Nisi in fœminis illustribus & nobilibus, de quibus ad jus feudale, ubi etiam de dotalitio, morgengaba & Mußtheil erit agendum.

An vidua cautionem præstare debeat ratione dotalitii?

Hic paucis saltem attingenda quæstio, utrum vidua nobilis teneatur ad præstandam cautionem ratione dotalitii? Affirmant communiter, quia quilibet usufructuarius ad eam teneatur. Sed vide, quæ jam supra notavimus in contrarium *ad tit. usufructuarius quemadmodum caveat.*

Donatio pro-

De donatione propter nuptias id observandum.

Regu-

pter nuptias quid? Regulariter apud Germanos maritus dotabat uxorem, non uxor maritum. Vide jam *notata ad Inst.* §. *3. de donat. p. 165.*

TIT. IV.

De pactis dotalibus.

SUMMARIA.

An uxor facultatem paciscendi post dotem constitutam habeat ex dominio naturali? Pactorum dotalium mixtorum origo. An valeant pacta dotis conditionem deteriorem reddentia?

An uxor facultatem paciscendi post dotem constitutam habeat ex dominio naturali?

Circa tempus, quo pacta dotalia constitui possunt, distinguunt Dd. inter extraneum & ipsam uxorem. Ille in ipsa dotis constitutione pacisci debet. Huic vero facultatem quocunque tempore pacta dotalia adjiciendi adscribunt, ea ex ratione, quia ipsi competat dominium naturale, atque adeo de re aliena non paciscatur. Sed mallem hanc rationem omittere, 1) quia dominium naturale uxoris est figmentum Triboniani, 2) quia possum etiam pacisci de re aliena volente domino, 3) quia extraneus etiam potest post jam constitutam dotem pacisci volente muliere.

Pactorum dotalium mixtorum origo.

Pacta dotalia, quæ mixta vocantur, ubi per modum ultimæ voluntatis disponitur de bonis utriusque conjugis, ortum ducunt ex principiis juris Germanici, utpote quibus semper valida fuere pacta de hereditate viventis. Conf. Schilterum *Exerc. XXXVI.* §. *93. Us. mod. h. t.* §. *3.* & *4.*

An valeant pacta uxoris conditionem

Imo etiam usu forensi valere pacta conditionem uxoris ratione dotis deteriorem reddentia probat Idem *d. l.*

TIT.

nem deteriorem reddentia?

TIT. V.
De fundo dotali.

Jure Germanico maritus bona uxoris potest alienare cum ejus consensu. Vide textus utriusque Speculi adductos a Schiltero *Exerc. XXXVI. §. 95. 96.* etiam fundum dotalem, Hoppius *ad pr. Inst. quibus al. lic.* Confer quæ jam ibidem notavimus *p. 167.* & Schöpferum *hic n. 4.* Dissentit *Us. mod. hic §. 2.* ubi tamen simul observat, jure Borussico contrariam dispositionem obtinere.

An maritus alienare possit fundum dotalem?

LIB. XXIV.
TIT. I.
De donationibus inter virum & uxorem.

SUMMARIA.

Donationes inter virum & uxorem cur apud Romanos prohibitæ? An eadem dispositio jure Canonico & Germanico recepta? Ingens hujus doctrinæ confusio post receptam testamentifactionem & ex jure Canonico. Donationes conjugum reciprocæ an valeant?

Historiam legum, donationes inter virum & uxorem jure Romano prohibentium & rationes vide apud Schilterum *Exerc. XXXVI. th. 97. & 98.* Conf. D. Beyerum *hic post positionem 1.* Adde, quod moribus Romanorum multæ essent causæ divortiorum, eaque frequentia, adeoque sæpe unus conjugum, postquam alteram partem fraudulentis amoris signis decepisset, & bonis emunxisset, ex improviso causa divortii arrepta donantem in paupertate relinqueret.

Donationes inter V. & U. cur apud Romanos prohibitæ?

An eadem dispositio jure Canonico & Germanico recepta?

Cum autem Pontifex in jure canonico Romanum jus approbaverit, cum jure canonico etiam hoc capitulum in Germania receptum fuit, inprimis cum & olim propter communionem bonorum, & prohibitam alienationem bonorum in fraudem heredum ab intestato, donatio uxoris marito facta nullum habuerit effectum, Landr. *lib. 1. art. 31.* nec morte confirmata fuerit.

Ingens hujus doctrinæ confusio post receptam testamentifactionem & ex jure Canonico.

Introducta tamen testamentifactione in fora Germanorum, quoad hoc capitulum in multis circumstantiis impertinens mixtura facta fuit, v. g. quod donatio judicialis conjugum valeat, quod mulier marito geradam donare possit in præjudicium proximæ cognatæ, aut quod eadem marito vendatur, quovis, etiam vilissimo, pretio, quod tamen postea marito redditur &c. Schilter. *Exerc. XXXVI. §. 98. 101. 102. Us. mod. §. 11.* Accedit, quod ex jure canonico tota vis legum civilium de prohibita donatione per adjectionem juratæ promissionis infringatur, uti per autoritates Dd. magno numero adductas ostenditur in *U. M. h.* §. 7.

Donationes conjugum reciprocæ an valeant?

Circa donationes reciprocas adde formulam veterem Francorum apud Schilterum *d. l.* §. *100.* & simul observa, illum antiquum modum donandi videri occasionem dedisse testamentis reciprocis conjugum. Adde: per quam donationem jure Germanico nullum fit præjudicium heredibus, ea hodie valet, ut donatio mobilium marito facta in Saxonia. Schilter. §. *103.*

TIT. II.

De divortiis & repudiis.

An usus tituli?

JUs civile etiam circa hanc materiam non esse receptum, dixi ad titulum *de sponsalibus*, quem vide.

TIT.

TIT. III.

Soluto matrimonio dos quemadmodum petatur.

SUMMARIA.

An usus dispositionis Romanæ de dote profectitia? it. de actione rei uxoriæ & ex stipulatu? Quid jure Saxonico & plerisque statutis obtineat?

DIspositiones juris Romani de dote profectitia soluto matrimonio ad patrem pertinente principiis juris Germanici plane non conveniunt, utpote quo jure pater nunquam repetit, nisi ut heres. Confer Schilter. *Exerc. XXXVI.* §. *120.* D. Beyer. *ad tit. de jure dotium post posit. 8.* *An usus dispositionis Rom. de dote profectitia?*

Porro subtilitates juris Justinianei de actione rei uxoriæ & ex stipulatu ad Germanos nihil attinent, partim quia apud eos nullus usus formularum, partim quia nullus usus distinctionis inter actiones b. f. & stricti juris. *It. de actione rei uxoriæ & ex stipulatu?*

Imo in Saxonia sive liberi adsint, sive non, maritus dotem capit integram, si illa in mobilibus consistat. Carpzov. *Part. 3. Const. 23. def. 8. & 42. Us. mod. hic* §. *3.* Et per statuta plerorumque locorum soluto matrimonio dos in portionem statutariam imputatur, & sic ejus portionem semper lucratur maritus. Vid. *Us. mod.* §. *2. seqq.* *Quid jure Saxonico & plerisque statutis obtineat?*

LIB. XXV.

TIT. I.

De impensis in res dotales factis.

SUMMARIA.

An maritus ratione impensarum utilium jus retentionis in re dotali habeat? Quid juris maritus habeat ratione impensarum de jure Germanico? An usus tituli cesset propter communionem bonorum? Quid in Marchia obtineat? Vera ratio non-usus.

An maritus ratione impensarum utilium jus retentionis in re dotali habeat?

IN *l. un. §. 5. C. de rei ux. act.* sublata est antinomia in Pandectis relicta, inter Ulpianum & Paulum, de qua dixi *ad Huberum h. t.* Disponitur autem in *dicta l. unica*, quod maritus intuitu impensarum utilium jus retentionis in rebus dotalibus exercere non possit. Hujus dispositionis usus asseritur in *U. M.* §. 2. verum ex toties rejecta ratione, quod juri Romano tamdiu standum sit, donec contrarium probetur; Et quod subjungitur, *neque etiam hodie marito permissum esse debere, invita muliere, impensas utiles in fundum dotalem facere, ex quibus cogeretur substantiam suam vendere, cum in genere onerosus creditor in hujusmodi casibus non sit audiendus, l. 25. ff. de pignor. act.* plane a statu controversiæ alienum est. Quæritur enim an maritus exercere possit jus *retentionis*; & respondetur in modo citatis verbis, ejusmodi maritum non esse audiendum h. e. non habere *actionem*, quam tamen ipsa lex, cujus usus vindicatur, marito non denegat, & quidem eo etiam casu, ubi non intercessit mulieris voluntas. Obiter & hoc noto, male huc applicari dictam *l. 25. de pignor. act.* Si enim verba antecedentia jungas: *Igitur hæc à judice erunt dispicienda, ut neque delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur*, vereor, ut magnum exinde argumentum pro uxoribus deduci possit, utpote quæ

ut

ut plurimum delicatæ sunt, in æstimandis & refundendis impensis, debitrices. Atque adeo dum ibidem judicis dispectioni res relinquitur, salva manet Schilteri sententia *Exerc. XXXVI. §. 21.* judicem posse etiam maritum ob utiles impensas in detentione rerum tueri.

Secundum principia juris Germanici maritus nec compensationem, nec retentionem, nec actionem intuitu impensarum quarumcunque habere deberet, sed solum jus tollendi eas, arg. Jur. Saxon. provinc. *l. 2. art. 21. & 53.* & *lib. 3. art. 38.* *Quid juris maritus habeat ratione impensarum de jure Germanico?*

Grönwegen tituli hujus ideo vult nullum esse usum, quia bonorum communio obstet, quæ est inter conjuges. *Us. mod. §. 3.* Attamen illa non est ubivis recepta, sicut de Marchia testatur Kohlius in *declar. const. March. qu. 1. n. 3.* Hinc licet mortua uxore maritus in Marchia capiat dimidiam bonorum omnium, salvum tamen ipsi est beneficium abstinendi, sive hereditatem uxoris repudiandi, quo casu dotem quidem restituit, sed impensas omnino detrahit. Quod si maritus portionem statutariam elegerit, bona in eo, quo sunt statu dividuntur, & ita impensarum ratio cessabit. *Us. Mod. §. 4.* *An usus tituli cesset propter communionem bonorum? Quid in Marchia obtineat?*

Cum vero in plurimis locis Germaniæ obtineat portio statutaria, & rariores sint casus, ubi maritus repudiet hanc portionem, inde iterum concluditur, tituli hujus rariorem etiam esse observantiam forensem, scilicet, si moriatur uxor. Quid si maritus? vide dicta *ad tit. præced.* *Vera ratio non-usus.*

TIT. II.

De actione rerum amotarum.

ACtio hæc MORIBUS nostris nullum usum habet, partim quia actio furti, ob quam erat inventa, nullum *Cur actio h. t. non in usu?*

nullum usum habet, partim ob rariorem licentiam divortiorum. Quod vero citra pœnam & infamiam conjux rem ablatam a conjuge repetat, id juris gentium est *l. 25. ff. h. t.* Schilter. *Exerc. XXXVI.* §. *122.* D. Beyer. *hic.*

TIT. III.

De agnoscendis & alendis liberis.

SUMMARIA.

Non-usus SCti de agnoscendis liberis. Nimia extensio regulæ de demonstratione liberorum per justas nuptias. Iniquitas assertionis de non alendis liberis incestuosis.

Non-usus SCti de agnoscendis liberis?

SCtum de agnoscendis liberis facto divortio apud nos nullius est usus, quia videlicet ad causas nostras divortiorum applicari nequit. Schilter. *Exerc. XXXVI.* §. *123.* D. Beyer. *hic, Us. mod.* §. *1.*

Usus dispositionis de alendis liberis. Nimia extensio regulæ de demonstr. lib. per justas nuptias.

Caput de alendis a parentibus liberis est juris gentium, adeoque & apud nos indubitati usus est. Schilter. §. *124.* D. Beyer. *h. t.* Interim pragmaticos nimis extendere assertionem de demonstratione liberorum legitimorum per justas nuptias, jam notavi *ad tit. de his, qui sui vel alieni juris sunt p. 20.* Exemplum adduxi in *notis ad Huberum h. t.*

Iniquitas assertionis de non alendis liberis incestuosis.

Porro si assertio juris civilis de non alendis liberis incestuosis vim legis haberet, haud dubie non recepta esset apud Germanos, quia repugnat æquitati naturali. Schilter. *d.* §. *124.* Sed verius est, mentem Triboniani non fuisse, hic legem ferendi. Conf. *Histor. juris* §. *127.*

TIT.

TIT. IV.

De inſpiciendo ventre cuſtodiendoque partu.

MORIBUS Germanorum nec hunc titulum habere uſum, etiam in viduis nobilibus, ſed in his ſufficere ſolam denunciationem agnatis factam, ex jure provinc. Saxonico *l. 1. art. 33.* diſtincte oſtenderunt D. Beyer *hic*, & Schilter. *Exerc. XXXVI. §. 125.* Quod caſum in *U. M. hic §. 1.* attinet, ſi mulier corporali pœna plectenda, ſe prægnantem eſſet aſſerat, ille ad hunc titulum plane non pertinet, uti nec reliqui in §. 2. recenſiti. *An h. t. in uſu?*

TIT. V.

Si ventris nomine muliere in poſſeſſionem miſſa, eadem poſſeſſio dolo malo ad alium translata eſſe dicatur.

DE hoc titulo idem dicendum, cum ſit appendix praecedentis. Et MORIBUS Germaniæ vidua gravida potius in poſſeſſione manet, quam ut in eam mittatur. Diſpoſitio vero *l. 1. §. 1. h. t.* ſi dolo mulieris vel ejus, in cujus poteſtate eſt, alius in poſſeſſionem mittatur, ut adverſus eos actio detur, quanti intereſt, eſt concluſio juris naturalis ex capite de damno dato reſarciendo. Apud Romanos vero potiſſimum ſermo erat de uxore, quæ divortium fecerat. Conf. dicta *ad tit. 3.* *An uſus h. t.* *Quid moribus obtineat?*

TIT. VI.

Si mulier ventris nomine in poſſeſſione, calumniæ cauſa, eſſe dicetur.

Ergo

Cur hic quoque titulus non in usu?

ERgo & hic titulus cessat, partim quia hæc actio famosa est, partim quia ejus ratio applicari non poterit ad eam, quæ possessionem retinuit secundum mores Germaniæ, etsi Schilterus id faciat *Exerc. XXXVI.* §. *128.* cum secundum naturam processus hodierni, etiam summariissimi, vidua non possit, si nolit, ante tempus, intra quod de graviditate ejus constare potest, exmitti.

TIT. VII.
De concubinis.

SUMMARIA.

Pellex & concubina differunt. Cur doctrina h.t. inutilis.

Pellex & concubina differunt.

PEllex quomodo alias a concubina differat, vide Huberum in *Prælectionibus hic ab initio.*

Cur doctrina h.t. inutilis?

Quamvis concubinatus cœlibum nec repugnet juri naturæ, nec legibus divinis, cum tamen abrogatus sit per constitutiones imperii, & inprimis apud Protestantes non toleretur, inde frustra quoad usum practicum de intellectu hujus tituli essemus solliciti.

LIB. XXVI.
TIT. I.
De Tutelis.

SUMMARIA.

Tutela Romana an in usu? An differat hodie tutela & curatela? An usus distinctionis in tutelam testamentariam legitimam & dativam? it. dispositionis Rom. de tutore Judæo.

Tutela Romana an in usu?

MAteriam tutelæ etiam apud nos in usu esse, & natura-

turalis ratio & quotidiana experientia docet; Ea vero quæ circa eam jus Romanum peculiaria habet, apud nos non obtinent. vid. *Notas ad Instit. h. t. p. 72. seq.* & *tit. quibus modis tut. finitur.* Putat quidem *Us. mod.* §. *1. hic* dispositionem juris Romani in plerisque locis adhuc obtinere paucis exceptis, quæ vel in recessibus imperii, vel statutis mutata, vel juri Romano superaddita sint. Verum ea quæ *ibid.* in sequentibus afferuntur, & quæ a nobis *ad Institutiones* dicta sunt, satis ostendunt, pauca illa excepta totam doctrinam juris Romani fere absorbere.

Ita dictum est *ad Institutiones p. 73.* nullam esse differentiam apud Germanos inter tutelam & curatelam, in quo & consentit *Us. mod.* §. *5. usque ad 12.* *An differat hodie tutela & curatela?*

Ita apud Germanos corruit usus distinctionis tutelæ in testamentariam, legitimam & dativam, vid. *Notas ad Instit. p. 74. & 75.* Nec obstat quod in *U. M. hic* §. *13.* asseritur. Nam quod (*n. 1.*) attinet, posse tamen & hodie patrem in testamento tutores dare, & etiam legitimos admittendos esse, nihil facit ad demonstrandum usum hujus distinctionis, nam illi testamentarii & legitimi non simpliciter admittuntur, sed in magistratus arbitrio est, an velit eos confirmare, adeoque in effectu sunt dativi, & falsum est, quod judex alium ex justa causa deligere non possit, si adsint testamentarii & legitimi. Quod (*n. 2.*) affertur, quod scilicet in ipso Recessu Imperii *de ao. 1577.* (ex quo probatur, unicam saltem esse tutelam nempe dativam,) itidem trium harum specierum mentio injiciatur, exigui momenti argumentum est, nam cum legislator usum illarum differentiarum tollere & omnes ad unam speciem referre vellet, utique necesse erat, earum men- *An usus distinctionis in tutelam testamentariam, legitimam & dativam?*

tionem injicere, illa vero mentio usum earum non involvit. Quod vero subjungitur de differentia constitutionis & confirmationis, ad id *tit. 3.* respondebimus. Neque etiam ratio (*3*) usum aliquem legitimæ & testamentariæ tutelæ probat. Nam etsi quis sciat, se testamento tutorem nominatum, vel etiam se pupilli proximum consangvineum esse, ideo tamen non scit se esse tutorem constitutum, cum in judicis arbitrio sit alium facta inquisitione constituere; adeoque nec mora ratione suscipiendæ tutelæ ipsi imputari potest, nisi eo casu, si a magistratu ad suscipiendam tutelam commonefactus sit, tunc vero periculum ipsius est, non ob hanc rationem, quia scivit se testamentarium & legitimum tutorem esse, sed quia jussui judicis non obtemperavit, cujus officium est curare, ne bona pupillorum neglecta administratione tristem sentiant exitum. Rationi (*4*) quod quædam sint, quæ ante confirmationem gerere possint, vehementer obstat generalis constitutio dicti Rec. Imperii, quod ante decretum magistratus nemo tutorum administrationem suscipere possit; Quam & repetit *Ordinatio politica Magdeb. c. 43.* §. *10.* Unde (*n. 5.*) frustra ad hanc & aliorum statutorum autoritatem provocatur, quod scilicet in iis differentia tutelarum stricte retenta sit. Sola enim mentio, ut supra dictum, usum ejus non involvit, inprimis si verba contraria adsunt uti in dicto §. *10. Ord. polit.* quod ante magistratus confirmationem nec testamentarius, nec legitimus administrationem tutelæ suscipere debeat.

II. dispositionis Romanæ de tutore Judæo?

Ita nec usum hodie habebit dispositio *l. 15.* §. *6. de excus. tut.* quod Judæus dari possit tutor. Nam quis Christianus hodie Judæum daret tutorem, & si maxime da-

me daret, quis magistratus eum confirmaret? Adde Schilter. *Exerc. XXXVII. th. 15. seq.* it. *Us. mod. hic.* §. *20.*

TIT. II.

De testamentaria tutela.

QUoad USUM hujus tituli repete jam notata *ad tit. praced.* & *ad Institutiones de tutelis*, & *qui testamento tutores dari possunt p. 75. seq.* Quæstio de tutela principum & Electorum testamentaria, quæ tractatur prolixe in *Us. mod. h.* §. *3. usque ad 11.* pertinet ad jus publicum.

An usus tituli? An in tut. testamentaria illustrium?

TIT. III.

De confirmando tutore vel curatore.

SUMMARIA.

An hic tit. in usu? An decretum magistratus hodie concurrat etiam ad constitutionem tutoris? An tutor testamentarius confirmatus pro dativo habendus?

NEc hunc titulum hodie USUM habere ostendi in *Notis ad Institutiones tit. de tutelis circa finem*, quia omnes tutores a magistratu sunt confirmandi.

An hic tit. in usu?

Et quamvis *Us. Mod. MSC.* dicat, hodie decreta magistratuum esse magis decreta administrationis, quam confirmationis, ea tamen assertio nondum est probata. Video quidem eam repeti in *edit. posth. U. M. h. t.* §. *5. differentia 1.* Sed itidem probatio deficit; Adeoque isti sententiæ admodum obstat, quod magistratus hodie potestatem habeat inquirendi, an tutor testamento datus, aut legitimus sit idoneus. Dixi *ad Institutiones de Attiliano tutore;* & sic decretum magistratus etiam

An decretum magistratus hodie concurrat etiam ad constitutionem tutoris?

ad constitutionem seu confirmationem concurrit. Aliæ adhuc indicantur differentiæ inter confirmationem hodiernam & Romanam *eod.* §.5. quas hac occasione paululum considerabimus. Prima, ut jam dictum, corruit. Secunda, quod confirmatio Romana etiam in honorario tutore necessaria sit, hodierna non æque; etiam fundamento destituitur, nam certum est, jure Romano tutorem ejusmodi non ideo confirmatum fuisse, quia honorarius erat, sed quia administrationis regulariter particeps erat, quod patet ex *l. 14. §. 1. de solutionibus* & *l. 49. de A. & O. H.* honorarius vero apud Germanos regulariter non administrat. Et sic quidem est differentia inter honorarium Romanum & Germanicum, non vero inter confirmationem, nam & apud Germanos, si honorarius administrationem attingere vult, confirmatione opus habet æque ut apud Romanos. vid. Lauterbach. *Diss. de honor. tut. §. 29.* Differentia tertia, quarta & septima ex iis, quæ modo ad differentiam primam & supra *tit. de tutelis* occasione quæstionis de usu distinctionis tutelæ in testamentariam, legitimam & dativam monuimus, refutantur. Differentia quinta & sexta ostendit quidem diversitatem excusationis apud Romanos & Germanos, quam in *Notis ad Instit. tit. de excusation. p. 116.* itidem indicavimus non autem differentiam inter confirmationem Romanam & hodiernam, nam & hodierna confirmatio est decretum, per quod inquisitione habita tutor datur. Sola differentia octava, quod Romana confirmatio tantum in testamentario, hodierna vero in quovis necessaria sit, fundamento suo gaudet. Ea autem quæ sequuntur, scilicet ex his differentiis apertum esse,

confir-

confirmationem Romanam adhuc superesse, meo quidem judicio non recte concludunt. Si enim hodierna confirmatio a Romana differt, uti ibi demonstrare intendit *Usus Modernus*, sequitur potius, Romanam non superesse; alias enim nulla esset ratio differentiæ. Sed hæc quidem obiter. Nobis sufficiat ostendisse, confirmationem magistratus æque ad constitutionem quam ad administrationem tutoris pertinere.

Unde etiam cadit usus quæstionis, an tutor testamentarius confirmatus sit pro testamentario habendus, an pro dativo. Quamvis etiam ex principiis juris Romani placeat assertio posterior, quia testamentarii ipso jure erant tutores. Certe intuitu morum Germaniæ, ubi omnes sunt dativi, posterior sententia erit præferenda. *An tutor testamentarius confirmatus pro dativo habendus?*

TIT. IV.

De legitimis tutoribus.

SUMMARIA.

An hic titulus in usu? Cur apud Germanos mater ad tutelam admittatur? Si ad secunda vota transeat, an tutelam tunc retineat? An vitricus? An renunciatio secundarum nuptiarum in usu? An renunciatione SCti Vellejani opus initio tutelæ? An usus quæstionis de prælatione inter matrem & avum paternum &c.

QUoad tutelam legitimam jure Germanico multa se habere aliter, quam jure Romano, ostendi *ad Institut. titulos de legitima agnatorum, patronorum & parentum tutela, de tutela fiduciaria.* *An h. t. in usu?*

Porro MORIBUS Germaniæ videbatur equidem inpri- *Cur apud Germanos*

mater ad tutelam admittatur? inprimis quoad jus Saxonicum esse inconveniens, ut mater ad tutelam admittatur, cum ipsa sit in perpetua cura. Sed nihilominus tamen mater mortuo patre jam antiquitus etiam ad tutelam fuit admissa; Jus Saxon. provinc. *lib. 1. art. 2.* ita tamen, ut videatur ipsi semper proximus agnatus vel alius esse consilii causa adjunctus *arg. d. l. 1. art. 23. in fine.* Conf. Schilter. *Exerc. XXXVII. th. 56. seq. Us. mod. §. 9. & 10.* Ratio forte fuit, quod moribus Germaniæ mater etiam suo modo in potestate habeat liberos, & præsumatur eos maxime amare, & quod adeo tutela ibi pro officio præcise virili non fuerit habita.

Si ad secunda vota transeat, an tunc tutelam retineat? An vitricus? Durat tamen & moribus Germaniæ tutela matris, donec ad secunda vota transeat, ubi communibus Germaniæ moribus alius tutor solet dari, vel tutela tutoribus matri adjunctis solis relinqui, *arg. d. l. 1. art. 23.* Et cum in omnibus tutelis magistratus superiorem tutelæ directionem habeat, non solet vitricum vel dare tutorem, vel, si jam tutor sit, ei tutelam relinquere, etsi nec ulla lege magistratui injungatur præcise, ut vitrico tutelam adimat, & jure Germanico intuitu rationum a tutore reddendarum non tantum sit pupilli periculum, ut apud Romanos.

An renunciatio secundarum nuptiarum in usu? Cum vero renunciatio secundarum nuptiarum nec olim in Germania fuerit recepta, nec ullum usum habeat, quia effectu destituitur, inde hodie non solet observari, nisi in iis locis, ubi hæc inanis cautela ab amasiis juris Justinianei fuit introducta. Hoppius *ad §. 1. Inst. de legit. agnat. tut.* it. *Us. mod. §. 35. 36.*

An renunciatione SCti Ita & SCti Vellejani renunciatio in multis locis convenientius naturæ negotiorum non initio, cum tutelam

telam mater recipit, sed quoties pro pupillo suo intercedit, fieri solet. Hoppius *ibid.* Confer supra dicta *ad tit. de SCto Vellejano.* Vide tamen & *Us. mod.* §. *37.* *Vellej. opus initio tutelæ?*

Matrem secundum principia juris Romani ipsi avo paterno præferri, ostendi in *Notis ad Strauchium*, *dissert. 5. th. 16.* ubi etiam de aviæ jure excludendi avum & de concursu aviæ paternæ & maternæ. (Conf. *Us. mod.* §. *31. seq.*) MORIBUS tamen Germaniæ putarem, per dispositionem Recessuum imperii omnes has quæstiones dependere ab arbitrio magistratus confirmantis. *An usus quæstionis de prælatione inter matrem & avum paternum?*

TIT. V.

De tutoribus & curatoribus datis ab his, qui jus dandi habent, & qui & in quibus causis specialiter dari possunt.

SUMMARIA.

An tutelæ legitimæ locus sit, si testamentaria obtinuit? An usus tituli?

COntrovertunt interpretes, an tutor legitimus sit admittendus, si testamentaria tutela quidem obtinuit, tutor autem vel excusatus, rel remotus fuerit &c. Negativam defendi in *Notis ad Strauchium diss. 5.* & in *novis additionibus ad Huberi Prælectiones tit. Inst. qui testam. tut. dari possunt*, ubi illa doctrina vindicata fuit ab objectionibus. *An tutelæ legitimæ locus sit, si testamentaria obtinuit?*

De non-usu hujus tituli repete dicta *ad Instit. de Attiliano tutore p. 92. seq.* ubi & de ordine hodierno tutorum testamentariorum, legitimorum, & dativorum. Adde D. Beyer. *p. 443. seq.* *An usus tituli?*

TIT.

TIT. VI.

Qui petant tutores vel curatores, & ubi petantur.

SUMMARIA.

An pœna juris Romani obtineat in matre & avia tutorem non petentibus? An in cognatis? An in liberis?

An pœna juris Rom. obtineat in matre & avia tutorem non petentibus?

MORIBUS Germanorum si non petat mater aut avia, censentur ipsæ tutelam gerere voluisse. Conf. Wissenbach *ad Pandectas h. t. th. 21.* Neque adeo Carpzovii sententia de pœna amittendæ hereditatis & responsumScabinorum adductum a D. Beyero *hic posit. 3.* & ab *Usu mod. hic* §. *1.* videtur facere usum practicum, inprimis cum D. Beyer *posit. 6.* recte moneat, moribus nostris magistratum magis adstrictum esse, ut prospiciat pupillis de tutoribus, quam jure Romano.

An in cognatis? An in libertis?

Ex dictis jam facile judicari potest de quæstione, utrum in cognatis omittentibus petitionem, pœna juris Romani locum habeat. De libertis jam notarunt alii, quod dispositio juris Romani apud nos non sit in usu.

TIT. VII.

De administratione & periculo tutorum &c.

SUMMARIA.

An tutor inventarium non conficiens fiat infamis? An hodie cautio fidejussoria & juratoria exigatur a tutoribus?

Tutor

Tutor inventarium non conficiens hodie non fit infamis, quia sæpe monitum, jure Germanico per actiones civiles neminem fieri infamem. *An tutor inventarium non conficiens fiat infamis?*

Reliqua de USU forensi hujus tituli vide *ad Institutiones tit. de satisdat. tut. p. 106.* Ubi ostendi, id omnino ratione constare, quod contra diserta verba Recessuum imperii in praxi nec satisdatio, nec juramentum soleant exigi, inprimis cum moribus & jure Germanico in omni tutela locum habeat inquisitio magistratus, secus ac putat D. Beyer *p. 444.* cui responderi potest ex iis, quæ ipse habet statim *sub initium paginæ.* *An hodie cautio fidejussoria & juratoria exigatur a tutoribus?*

TIT. IIX.

De autoritate & consensu tutorum & curatorum.

Quæ in hoc titulo ex natura officii tutorii fluunt, apud nos etiam obtinent; Reliqua cessant. Dixi *ad Institutiones h. t. p. 94.* *An h. t. in usu?*

TIT. IX.

Quando ex facto tutoris vel curatoris minores agere, vel conveniri possunt.

SUMMARIA.

Actio h. t. est tantum utilis. An ejus usus?

Recte monet Schilterus *Exerc. XXXVII. th. 127. seqq.* titulum hunc duas continere regulas cum suis exceptionibus. Scilicet regulariter tutorem facto suo nec acquirere pupillo actionem, nec eum obligare, nisi alias pupillus aut is, qui cum tutore contraxit, *Actio h. t. est tantum utilis?*

xit damnum sentiat, ubi utrobique actio, sed utilis saltem concedatur.

An ejus usus? Hoc vero præsupposito recte notat idem, hunc titulum apud Germanos exiguum habere USUM. Scilicet, quia differentia inter actiones directas & utiles hodie nullum præstat usum practicum, & quia Germani regulæ Romanæ, quod actiones personales ossibus cohæreant, subtilitatem nunquam receperunt, adeoque exceptione hujus tituli ab illa regula non habuerunt opus.

TIT. X.

De suspectis tutoribus & curatoribus.

SUMMARIA.

An actio hujus tituli in usu? Negativa Bachovii defenditur. An usus probetur ex Speculo Saxonico & Svevico?

An actio h. t. in usu? NUllum esse apud Germanos USUM actionis de suspectis tutoribus vel curatoribus, dixi *ad Institutiones h. t. p. 119.*

Negativa Bachovii defenditur. Notavit etiam Bachovius *ad Wesenbecium h. t. n. 8.* quod ob Ordinationem politicam imperii hodie suspecti postulatio non amplius habeat locum. Sed hoc non admittendum esse dicitur in *Us. mod. hic §. 1. & 3.* Quantumvis enim in *Reformatione polit. 1577. tit. 32. in fine* dicatur, quod unusquisque magistratuum ex officio in negligentiam tutorum inquirere, eorumque commissa vindicare debeat, inde tamen non sequi, ergo privato tutorem suspectum postulare non licere; Alias

Alias enim nemini etiam accuſationem in criminalibus permittendam eſſe amplius, quia & de illis magiſtratus ex officio inquirere debeat *l. 13. de offic. præſid.* Sed Reſp. 1) falſum eſſe, quod proceſſus inquiſitorius cognitus fuerit jure Romano; & in dicto textu inquirere denotat auffſuchen non unterſuchen. vid. Diſſ. *de orig. proc. inquiſitorii. §. 40. lit. i.* 2) Etiam hodie accuſationes deſierunt, poſtquam proceſſus inquiſitorius in uſu eſſe ubivis cœpit. 3) Accuſationes olim etiam Germanis erant receptæ, ſuſpecti poſtulatio nunquam. Ergo multo minus receptio probabitur poſt conſtitutiones imperii allegatas.

Voluit equidem Schilterus probare, quod ante receptionem juris Romani in uſu fuerit apud Germanos ſuſpecti poſtulatio *Exerc. XXXVII. §. 135. 136.* Sed ſi accuratius rem inſpicias, jus Saxonicum loquitur de tutore adultæ virginis & viduæ. Poſtea juris Svevici collector impertinenter id extendit etiam ad pupillos quosvis. Vide loca apud Schilterum *ibid.* Sed intuitu adultorum etiam hæc actio non erit popularis *argumento dictor. textuum.* Et in Germania æque nullus eſt uſus actionum popularium, ac pœnalium. Adde, quod hodie actio tutelæ poſſit etiam inſtitui durante tutela. Conf. D. Beyer *ad Inſt. h. t. poſit. 7. ſeqq.*

An uſus probetur ex Spec. Saxon. & Svev.

LIB. XXVII.

TIT. I.

De excuſationibus.

SUMMARIA.

Diviſio excuſationum. An tituli uſus?

Divisio excusationum. DIvidunt excusationem communiter in propriam seu voluntariam, & impropriam, seu necessariam. Sed adde, quæ diximus *ad princ. Inst. h. t. p. 108.* ubi ostensum, dari etiam mixtas excusationis causas, quæ diverso respectu voluntariæ partim, partim necessariæ sunt, quod in notis ad sequentes §§. fusius est declaratum.

An tituli usus? Quoad USUM excusationum juris Romani vide *Notata ad Institutiones h. t. passim*, ubi abunde explicata est mens nostra de rariore usu plerarumque causarum excusationis.

TIT. II.

Ubi pupillus educari vel morari debeat, & de alimentis ei præstandis.

In quibus hic tit. obtineat? In quibus cesset? QUæ ex principiis communis æquitatis hic deductæ sunt assertiones, haud dubie etiam obtinent apud Germanos. At quæ rationes peculiariter ad Romanos spectant, non sunt in usu. Ita v. g. Præses hodie non decernit in hac materia, sed quilibet judex competens. Ita quæ de insidiis pudicitiæ memorantur in *l. 5.* ad mores Germanorum non quadrant, sed respiciunt vitium Romanis peculiare, de quo & Apostolus conqueritur. Ita nec hodie regulariter excluduntur ab educatione proximi successores. Ita & vitrico solet committi educatio, si vir probus sit. Carpz. *P. II. Const. 11. def. 42.*

TIT. III. & IV.

De tutelæ & rationibus distrahendis, & utili curationis causa actione.

De

De contraria tutelæ & utili actione.

SUMMARIA.

Germani intuitu rationum reddendarum olim distinguebant inter tutorem, qui erat heres pupilli, & extraneum. Quæ distinctio post Rec. Imp. 1548. ab interpretib9 prætermissa. Ejus vestigia in tutelis principum. Quando actio tutelæ institui possit? Quam culpam præstet tutor? Erronea doctrina de culpa lata ab heredibus tutorum præstanda? An actio pœnalis de rationibus distrahendis in usu? Salaria tutorum an sint juris Romani?

CIrca rationes a tutore reddendas distinguebant Germani, utrum heres pupilli esset tutor, an alius. Ille nullas rationes reddebat pupillo, cum ad eum pertineret ususfructus bonorum pupillarium; Jus provinc. Saxon. *lib. 1. art. 23. in fine;* Schilter. *Exerc. XXVII. th. 16.* eodemque beneficio multo magis gaudebat mater. Schilter. *Exerc. III. th. 11.* Et quamvis quidam putent, id saltem obtinuisse de jure Saxonico, non de Alemannico seu Svevico, Schilter. *dict. Exerc. XXVII. th. 16.* contrarium tamen mihi videtur verius. (Jus Prov. Svec. *c. 23.* **Er ist auch argwöhnig / wer der Kinder Gut von Jahr zu Jahr nicht wieder rechnet der Kinder nächsten Freunde**). Debebant equidem restituere bona pupillis finita tutela, sed non reddebant rationes de fructibus & expensis. *Germani intuitu rationum reddendarum olim distinguebant inter tutorem, qui erat heres pupilli;*

At si extraneus tutor esset, debebat singulis annis reddere rationes, etiam de fructibus & expensis heredi proximo pupilli, (per *dict. textum*,) quod an originem debeat dispositioni juris canonici *Clement. 2.* *Et extraneum.*

 §. 1. de

§. 1. de relig. domib. (uti putat B. Hopp. *ad §. ult. de Attil. tut.*) inquirendum ulterius.

Quæ distinctio post R. J. 1548. ab interpretibus prætermissa.

Cum autem Recessus imperii jusserint, ut tutores singulis annis magistratibus reddant rationes, si id postuletur, *R. J. 1548. Tit.* **von Pupillen** *§. 3.* postea vero etiam præceperint, ut tutores singulis annis rationes sponte offerant, interpretes recessuum non considerarunt, an hic saltem repetitum fuerit jus Germanicum, sine abrogatione distinctionis memoratæ, sed potius illa verba secundum principia juris Romani exposuerunt, ut adeo in praxi hodie omnes tutores debeant rationes reddere quotannis magistratibus, etsi non semper id postuletur. Sæpe tamen rationes differuntur post finitam tutelam, inprimis, si tutores sint proximi heredes pupillorum, quibus hodie ex beneficio veteri id saltem relictum est, ut rationes post finitam tutelam reddant. Hoppius *ad §. ult. de Attil. tut.*

Ejus vestigia in tutelis principum.

Remanserunt tamen vestigia juris Germanici in administratione principatuum, quoties proximi heredes tutores sunt. Conf. Schilter. *Exerc. XXVII. th. 16.* Et simile quid de moribus Anglorum antiquorum ex Polydoro Vergilio annotat Huberus *dissert. fundam. 20. th. 16.*

Quando actio tutelæ institui possit?

Interim nullum est dubium, jure Germanico posse institui actionem nondum finita tutela, aut tutorem ex officio posse a magistratu urgeri. Conf. Schilter. *Exerc. XXXVII. th. 174.*

Quam culpam præstet tutor?

Porro cum jure Germanico in tutoribus nihil peculiare quoad culpam constitutum sit, manemus in regula, quemlibet in rebus alienis debere majorem diligentiam adhibere, quam in propriis.

Quod

Quod vero jure Romano heredes tutoris teneantur saltem de culpa lata, communiter ita exponitur, ut etiam heredes conventi de facto tutorum culpam latam saltem præstent. Sed ostendi peculiari dissertatione *de culpa ab heredibus tutorum præstanda*, hanc sententiam esse erroneam, & textus loqui de heredibus conventis ex facto proprio. Interim doctores practici hactenus secuti sunt sententiam erroneam. Vide Carpzov. *P. II. C. 11. def. 35.* quamvis in præjudicio ibi subjuncto etiam alia desiderari possint, quod nimirum casus ibi relatus non pertineat ad culpam levem, sed latam. *Erronea doctrina de culpa lata ab heredibus tutorum præstanda.*

Actio pœnalis de rationibus distrahendis in *l. 1. §. 20. h. t.* moribus Germaniæ non habet usum. D. Beyer. *h. t. posit. ult.* *An actio pœnalis de rat. distr. in usu?*

Quod tutores in actione contraria possint salarium petere, magis ex moribus Germanorum deducendum, quam ex principiis juris Romani. Schilter. *Exerc. XXXVII. §. 177.* D. Beyer. *ad h. t. ab init. & lit. c.* *Salbria tutorum an sint juris Rom?*

TIT. V.

De eo, qui pro tutore, prove curatore negotia gessit.

NEc hic titulus magnum habebit USUM in foro, non quod ille, qui pro tutore se gessit, non sit conveniendus, sed partim, quod in Germania omnes tutores per magistratus confirmari debeant, adeoque rariores sint casus protutorum, Schilter. *Exerc. XXXVII. §. 185.* D. Beyer. *hic p. 455.* partim, quod ubi tales casus obvenerint, hodie nihil intersit, sive actionem hujus casus, vel similis, dicas actionem protutelæ, *Cur hujus tituli nullus usus?*

telæ, ſive negotiorum geſtorum, ſive implorationem officii judicis.

TIT. VI.

Quod falſo tutore autore geſtum eſſe dicatur.

Cur hæc actio non in uſu? An uſq actionis pœnalis Germ. adverſus tutorem pupillam ſtuprantem?

HÆc actio jure Romano aliquo modo pœnalis erat, in dolum videlicet falſi tutoris concepta, *l. 7. h. t.* Et hactenus moribus Germanorum eam non fuiſſe receptam docui *de uſu action. pœnal. c. 3. §. 36.* quanquam etiam ob dicta *ad tit. præced.* caſus falſorum tutorum apud Germanos non poſſint eſſe ita frequentes, ut apud Romanos. Occurrit alia actio pœnalis in jure Germanico adverſus tutorem pupillam ſuam ſtuprantem, quam *eod. §. 36.* ex Speculo Svevico *art. 322.* adduxi, cujus tamen uſus propter nimium juris Romani amorem non obſervatur.

TIT. VII.

De fidejuſſoribus & nominatoribus & heredibus tutorum & curatorum.

Cur hic tit. non in uſu?

CUm magiſtratus hodie tutelæ officium iis tantum conferat, qui immobilia poſſident, ut in *Notis ad Inſtit. de Satisdat. tut. p. 106.* diximus, inde ſua ſponte fluit, non magnum ſupereſſe fidejuſſorum USUM in materia tutelæ, quod etiam recte annotavit Lauterbach in *Colleg. Theor. pract. §. 1. h. t.* Contrarium quidem defenditur in *Uſ. mod. hic §. 1.* Verum ipſius aſſertio fundat ſe in inani perſvaſione, quaſi etiam tutores dentur, qui immobilia non poſſident. Et poſito, quod etiam caſus fidejuſſorum exiſteret, ceſſat tamen apud nos diffe-

differentia Romanorum, quæ inter hanc & alias fidejussiones intercedebat, item differentia inter nominatores & affirmatores per dicta *ibid.* §. *1.* & *5.* adeoque tituli hujus nullus est usus.

TIT. VIII.

De magistratibus conveniendis.

HAnc actionem in usu esse dicunt Hahn. *ad Wesenbec. h. t.* Carpzov. *P. II. C. 11. def. 41.* Sed ostendatur exemplum. Aliud est, an in usu esse debeat. Dixi latius *ad Institut. de satisdat. tutor. circa fin. p. 107.* *An usus hujus tituli?*

TIT. IX.

De rebus eorum, qui sub tutela vel cura sunt, sine decreto non alienandis, vel supponendis.

ID peculiare moribus nostris notat *Us. mod. h.* §. *4.* quod, cum jure Justinianeo decretum non habeatur pro necessario, si alienatio per rescriptum principis sit approbata, hodie loco hujus rescripti consensus Comitis Palatini adhiberi soleat, cum huic inter privilegia concedatur, alienationes tales confirmare. Sed aliud est, an talia privilegia extent in comitivis, quod non negamus; aliud, an eadem in praxi usum habeant, quod negamus. Et ostendatur vel unicum exemplum alienationis ejusmodi confirmatæ a Comite Palatino. Nullus enim prudens JCtus talem confirmationem svadebit partibus, ob rationes facile divinandas. Adde dicta superius *ad tit. Inst. & Pand. de Adoptionibus.* *An confirmatio Comitis Palatini sit loco decreti?*

TIT. X.

De curatoribus furioso & aliis extra minores dandis.

An hic tit. in usu?

CUm in præcedentibus titulis plerumque doctrina de cura doctrinæ de tutela fuerit immixta, hic vero separatim de curatoribus agi incipiat, poterit quoad USUM forensem de curatoribus hic inspici, quod jam allatum fuit *ad tit. Inst. de Curatoribus p. 104.* ubi dictum, pleraque se hodie habere diversimode.

LIB. XXVIII.

TIT. I.

Qui testamenta facere possunt, & quemadmodum testamenta fiant.

SUMMARIA.

De usu doctrinæ de testamentis in genere. Usus pactorum successoriorum etiam post receptam testamentifactionem. Doctrina de successione conventionali confusio. An testamentum facere possint captivi, homines proprii, peregrini, banniti, fustigati, damnati ad mortem, filiifamilias minorennes, venefica?

De usu doctrinæ de testamentis in genere.

CAutelas præliminares circa doctrinam de USU forensi materiæ testamentariæ apud Germanos vide in *Notis ad Institutiones de testam. ord. p. 108.*

Usus pactorum successoriorũ etiam post receptam

Ante testamentorum usum Germani jam olim sub certis tamen requisitis & limitationibus, per pacta poterant transferre hereditatem suam ad alios heredes. Quare non mirandum, quod post recepta testamenta

menta antiquum illum morem non plane abrogaverint, etsi alias secundum principia juris Romani mixtura conventionum inter vivos & ultimarum voluntatum plane non procedat. *testamentifactionem.*

Interim non est diffitendum, doctrinam de successione conventionali in Germania magna adhuc indigere emendatione, cum multa in ejus propositione diversa & contraria principia fuerint confuse tradita, ut etiam non sit mirandum, quod hic in definitione quæstionum specialium non paucæ occurrant dissensiones. Hartmannum Pistoris *l. 4. q. 1. seq.* præ aliis commendat & sequitur Schilterus *Exerc. VIII. th. 35. seq.* Plura huc facientia collegit B. Strykius *de Success. ab intestato diss. 8.* Maximopere illud tenendum, quod in *dict. dissert. 8. c. 12. §. 36.* ex Hahnio & Cothmanno monet: Valorem & justitiam pactorum successoriorum non ex jure Romano, sed moribus, locorumque statutis esse repetendum; Ei vero, qui contra hæc pacta scholastice disputat, ignoscendum, & condolendum potius esse, quod, quæ quotidiana sunt, non didicerit, & jus, in quo versetur, ignoret. *Doctrinæ de successione conventionali confusio.*

Quod personas attinet, qui testamenta facere possunt, de captis ab hostibus jam *ad §. ult. Inst. quib. non est permiss. fac. test. p. 184.* ostensum, cum principiis juris Germanici non convenire sententiam communem, quasi hodie captorum ab hostibus testamenta valeant. *An testamentum facere possint captivi?*

Homines proprii in Germania testamenta facere possunt, & faciunt, quia acquirunt bona & alienant. *Homines proprii?*

Peregrinos, bannitos a Statibus, damnatos ad triremes, fustigatos habere testamentifactionem probavi *ad Instit. tit. de capit. dimin. p. 86.* *Peregrini &c.*

Damnati ad mortem? De damnatis ad mortem probavit Schilterus *Exerc. XXXVIII. §. 25 - 28.* eos habere testamentifactionem, conf. Carpzov. *Part. III. Const. 6. def. 1.* Nec eorum poterit esse deterior ratio, quam peregrinorum & fustigatorum. Respondet etiam Schilterus dissentientibus, quasi scilicet saltem non valeat testamentifactio, si non habeant cognatos in tertio gradu, per *Auth. Bona damnatorum C. de bon. proscript.* inter quos sunt *Us. mod. hic §. 10.* & D. Beyerus *ad h. t. posit. 1.*

Filiifamilias minorennes? Circa filiosfamilias tamen, si sint minorennes, adhuc hodie observatur, quod testamentifactionem non habeant; (Etsi enim patriam potestatem Romanorum in genere non recepimus, recepimus tamen in materia testamentaria.) Dico, si sint minorennes, nam de majorennibus casus non est facile dabilis, ut apud Romanos, quia tum vel dimittuntur ex patria potestate, vel non habent, de quo testari possint.

Veneficæ? An veneficæ testamentum facere possint, late disputat Schilterus *Exerc. XXXVIII. §. 29. seq.* Et quamvis omnia conquirat, ut sententiam affirmativam defendat, ea tamen omnia facile dilui possunt, quia supponunt fundamenti loco, quod veneficæ pactum faciant cum diabolo, quod hactenus nondum est probatum.

TIT. II.

De liberis & posthumis.

An usus tituli? DE USU hujus tituli repete dicta *ad Institutiones de exhered. liberorum. p. 186.*

TIT-

TIT. III.

De injusto, rupto, irrito facto testamento.

SUMMARIA.

An testamentum cum clausula derogatoria indistincte rumpatur per posterius? An sola repetitio testamenti e judicio involvat revocationem? An usus dispositionis Rom. de rupto testamento it. de irrito per capitis diminutionem testatoris.

Circa testamentum cum clausula derogatoria diversæ sunt opiniones, utrum illud per posterius rumpatur, nec ne? Vide *Us. mod. h. t.* §. 1. & *Caut. testam. c. 24.* §. 55. Ego distingverem. Si testator simpliciter dixit, posterius testamentum non valiturum, tamen valebit posterius. At si dixit, posterius non valiturum, nisi certis verbis in priore testamento declaratis incipiat, aut nisi signum certum aliud illi sit appositum, præsumitur subsequens vi vel dolo extortum, nisi illa verba vel signa in eo deprehendantur. Conf. D. Beyer. *hic post posit. 10.* *An testamentum cum clausula derogatoria indistincte rumpatur per posterius?*

Rumpi etiam dicitur testamentum, quod revocatur. An vero pro revocatione pronunciandum sit, si testamentum publicum e judicio repetitur absque nova heredis institutione, negat Carpzov. *P. 3. c. 3. def. 30.* & *Us. mod.* §. 8. affirmat Finckelthaus *Obs. 12.* Verum in Saxonia Electorali quidem expresse illa sententia definita est, quam Carpzovius defendit, sed tamen extra Electoratum sententia affirmativa verosimilior, per rationes Schilteri *dict. Exerc. XXXVIII.* §. 74. *An sola repetitio testamenti e judicio involvat revocationem?*

An usus dispositionis Rom. de rupto testamento,

De cessante USU hujus tituli inprimis ratione decennii, quod olim requirebatur, si revocatio effectum habere deberet, dixi *ad Institutiones tit. quib. mod. test. infirm. p. 192.* Et fatetur etiam *Us. mod. §. 7. hic.* per statuta variorum locorum lapsum decennii non amplius requiri.

it. de irrito per cap. dimin. testatoris.

Porro caput de irrito testamento per capitis diminutionem testatoris moribus Germaniæ non habet usum, cum ibi nulla capitis diminutio sit recepta per tradita *ad Inst. de capit. dimin. p. 85.* Unde facile respondebitur dissentienti *Us. mod. §. 11.*

TIT. IV.

De heredibus instituendis.

SUMMARIA.

Institutio captatoria quid? An jus Rom. de ea disponens in usu? An usus tituli ratione servorum, Judæorum, mulieris intra tempus luctus nubentis, item in genere conjugum ad secundas nuptias transeuntium?

Institutio captatoria quid? An jus Rom. hic in usu?

Institutio heredis voluntaria, quæ h. t. tractatur, est, ubi heredis institutio voluntati testatoris permittitur. Hanc permissionem cessare dicunt Dd. si institutio sit captatoria, sed varie dissentiunt in explicanda illa captatoria institutione. Hinc ostendi in dissertatione peculiari *de captatoriis institutionibus* anno 1696. habita, non aliam esse institutionem captatoriam, quam quæ extat in *l. 1. ff. de his, quæ pro non script. hab: Qua ex portione Titius me heredem scriptum in tabulis suis recitaverit, ex ea parte heres esto;* & simul dissentientibus respondi, ac distincte indicavi, hac parte jus Romanum a nobis haud esse receptum §. *41. seq.* Plura pro hac sententia confirmanda suppeditabit disputatio alia *de jure injusto heredipetarum* anno 1695. habita.

Cessat

Cessat & illa heredis institutio ex persona eorum, qui instituuntur, si scilicet illi lege specialiter sint prohibiti. Verum HODIE pleræque illæ prohibitiones non obtinent. De servis repete dicta *ad Instit. pr. h. t.* conf. *Us. mod.* §. 2.

An usus tituli ratione servorum?

Porro jure Romano Judæos singulos heredes instituere licebat, *arg. l. 8. C. de Judæis.* Sed quoad usum hodiernum dubitare licebit, an id liceat, etsi tolerentur, quamvis vix casus sit dabilis. Dissentit Schöpf. *hic n. 3.*

Judæorum?

Dispositionis de muliere intra tempus luctus nubente hodiernus non usus inde apparet, quia jam supra *de his, qui not. infam.* notatum, eam moribus nostris non fieri infamem.

Mulieris intra tempus luctus nubentis,

Quod conjuges ad secundas nuptias transeuntes, novo conjugi non plus relinquere possint, quam uni ex liberis prioris matrimonii, etiam in Germania non obtinet. Vide *Us. mod.* §. 3. Adeoque frustra asseritur *ibid.* quod ex praxi plurium locorum contraria non possit colligi, illam praxin esse universalem; Quod enim de Saxonia dicitur, hanc dispositionem juris Romani nunquam ibidem esse receptam, id etiam extendendum erit ad Germaniam in genere. Expresse quidem etiam dissentit Schöpferus *n. 9.* qui scilicet vult probari abrogationem pœnarum secundarum nuptiarum. Verum potius receptio probanda. Nisi dicere velis, eam præsumendam esse in dubio in materia testamentaria. Sed vide tamen *Not. ad Instit.* §. 5. *h. t.*

it. in genere conjugum ad secundas nuptias transeuntium?

TIT. V.

De vulgari & pupillari substitutione.

SUMMARIA.

An usus substitutionis vulgaris & pupillaris? An substitu-

stitutionis breviloquæ, item quæstionis de casu noluntatis & impotentiæ?

An usus substitutionis V. & P.?

DE USU practico substitutionis vulgaris & pupillaris repete dicta *ad Institutionum titulos duos huic parallelos p. 189. seq.* ex quibus facile judicari potest de iis, quæ habentur in *Us. M. hic.*

An substitutionis breviloquæ?

Cur substitutio reciproca vel breviloqua apud Romanos olim fuerit inventa, vide apud D. Beyerum *ad h. t. ab initio.* Sed jure Justinianeo noviore jam non habuit usum, quia & citra eam locum habet jus accrescendi.

Item quæstionis de casu noluntatis & impotentiæ?

Et quoniam ostendimus *ad Institutiones*, substitutionis vulgaris hodie rariora esse exempla, inde non magnum usum forensem habebit quæstio: an casus noluntatis comprehendat casum impotentiæ & vice versa, etsi quoad decisionem quæstionis affirmativam veriorem putem, ut fuse ostendi in *novis addit. ad Prælectiones Huberi h. t.* §. *1.* Conf. *Us. mod.* §. *3.*

TIT. VI.

De conditionibus institutionum.

SUMMARIA.

An recte referatur ad conditionem impossibilem conditio turpis? Derisoria? Perplexa? Conditionum genuina divisio. Sub quibus conditionibus institui possit filiusfamilias? An etiam in legitima conditio potestativa adjici possit? An conditio potestativa habenda sit pro impleta, si casu impediatur?

An recte referatur ad

PRima divisio conditionum est, qua dividuntur in possibiles & impossibiles. Has rursus subdividunt in

in natura & lege tales; atque ad posteriores referunt communiter conditionem turpem, sed ostendi in disputatione Lipsiensi *de filiofamilias sub conditione instituto cap. 2. §. 15. 16. 17.* conditionem turpem ex male intellecta *l. 15. h. t.* male haberi pro impossibili, cum sit saltem non potestativa. Dixi etiam *ad Institutiones p. 188.* *conditionem impossibilem conditio turpis?*

Huc quoque referunt conditionem derisoriam; Sed ostendi in diss. *de jure injusto heredipetarum §. 18.* circa ejusmodi conditiones multa subesse dubia, an ad impossibiles, an vero ad turpes aut difficiles, vel etiam stultas referendæ sint. Exemplum dedi *ibid.* si quis heredem instituit sub conditione, si cadaver testatoris oleo unctum nudis humeris extulerit. *Derisoria?*

Ad impossibiles porro referunt conditionem perplexam. Sed uti præter exemplum *l. 16. h. t*: *Si Titius heres erit, Sejus heres esto: Si Sejus heres erit, Titius heres esto;* vix aliud occurrit in legibus, ita decisio Juliani in *dicta l.* partialis est & valde dubia; Sensus enim verborum & hic esse potest, quod uterque Titius & Sejus conjunctim & neuter sine altero hereditatem adire debeant; & sic nulla in conditione latet impossibilitas, vide, quæ dixi in *Historia juris §. 186.* Item in *Praxi Logica c. 3. §. 78.* Alia tamen perplexitatis exempla vide in *Instit. jur. div. lib. 2. c. 12. §. 42.* *Perplexa?*

Quoad divisionem conditionum possibilium notum quidem est, Justinianum in *l. un. §. 7. C. de caduc. toll.* tres earum facere species, potestativam, casualem & mixtam. Sed ostendi in ead. disp. Lipsiensi *de filiofamil. sub condit. instit. C. 2. §. 18. seqq.* accurate loquendo non nisi duas esse species, potestativam & casualem, *Conditionum genuina divisio.*

mixtam vero a poteſtativa non differre, niſi modo conſiderandi.

Sub quibus conditionibus inſtitui poſſit filius? An etiam in legitima conditio poteſtativa adjici poſſit?

Quod inſtitutionem filii attinet, poterat ille jure Pandectarum inſtitui ſub conditione temporis præteriti, neceſſaria, tacita, impoſſibili, (quamvis de hac communiter diſſentiant; vide Schilter. *Exerc. XXXVIII.* §. *101.*) non tamen ſub turpi, vel caſuali, ſed ſub poteſtativa. vid. *ibid.* §. *35 -- 40.* An & ſub mixta? Negant communiter. Oſtendi tamen contrarium magis convenire Jurisprudentiæ Romanæ *ibid.* §. *42.* Hoc ſuppoſito jam quæritur, an, quod jus Pandectarum de conditione poteſtativa diſpoſuit, jure Codicis etiam valeat intuitu legitimæ, propter *l. 32. C. de inoff. teſtam.* Et communiter id ſublatum eſſe ſtatuunt, vid. *Uſ. mod.* §. *3.* Mihi tamen & hic contrarium placet, ex ratione, cur olim licuerit filium inſtituere ſub poteſtativa, niſi ſit poteſtativa damnum in patrimonio filio afferens.

An conditio poteſtativa habenda ſit pro impleta, ſi caſu impediatur?

De poteſtativa conditione magna quoque eſt diſceptatio inter JCtos, utrum ſcilicet ea pro impleta habenda ſit, ſi implementum ejus caſu fortuito impediatur, an vero ipſa heredis inſtitutio evaneſcat? Priorem ſententiam defenderunt Papinianus, Ulpianus, Pomponius, poſteriorem Africanus, Hermogenianus & Paulus. Dixi de hac antinomia & modis eam conciliandi latius in *cit. diſputatione c. 2.* §. *25. ſeq.* ubi & §. *32.* oſtendi, Tribonianum in Codice videri approbaſſe ſententiam Pauli.

TIT. VIII.

De jure deliberandi.

SUMMARIA.

An jus deliberandi in uſu?

An obtineant effectus beneficii inventarii?

Putat

PUtat quidem *Usus mod. §. 2. b.* jus deliberandi non posse dici hodie abrogatum esse, cum nihil obstet, quo minus heres, omisso beneficio inventarii, eo uti queat. Sed (1) frustra dicitur, quod non sit abrogatum, cum nondum fuerit probata istius juris receptio. Apud Germanos enim nunquam fuit introductum illud Romanorum principium, quod heres omnia defuncti debita solvere debeat, vid. *Not. ad Inst. tit. de hered. qual. & differ. p. 194.* & (2) ab usu potentiali ad usum actualem non valet consequentia, prout ostensum *ibid. p. 239.*

An jus deliberandi in usu?

In eo vero nobiscum consentit *Us. mod. §. eod.* quod etiam effectus beneficii inventarii, quos recenset D. Ludovici *ad h. t. § 4.* hodie plerumque cessent, ubi jurata specificatio est recepta. Hanc enim iisdem dicit gaudere effectibus, quibus inventarium. Repetendum tamen ex dictis *ad Instit. p. 195.* quod mixtura juris Romani cum jure patrio valde incertam reddiderit hodie jurisprudentiam practicam.

An obtineant effectus beneficii inventarii?

LIB. XXIX.

TIT. I.

De testamento militis.

SUMMARIA.

An jus Romanum de testamento militis in usu? Causa dissensionum circa testamentum parentum, circa testamentum tempore pestis, circa testamentum ad pias causas, circa testamentum rusticorum.

An jus Rom. de test. militis in usu?

IN applicatione privilegiorum testamenti militaris Romanorum ad mores Germanorum, caute procedendum esse, dixi *ad Institutiones h. t. p. 182.*

Causa dissensionum circa testamentum parentum;

Causa dissensionum doctorum in doctrina de testamento parentum inter liberos, quarum potiores sunt: an liberi ingrati possint in tali testamento exheredari, item an duo testes sufficiant intuitu personarum extranearum, quæ simul instituuntur; inde provenit, partim quod multiplices novæ constitutiones Codicis & Novellarum non ubique bene cohærentes sæpe occasionem dent collisioni jurium, partim quod Maximilianus I. Imperator in constitutione de testamentis de dispositione parentum loquatur paululum obscurius. Vide Schilterum *Exerc. XXXVIII. §. 122-131.*

Circa test. tempore pestis;

Peperit etiam mixtura juris Romani, canonici & imperii Germanici, dissensiones doctorum circa testamentum tempore pestis conditum; Plenius id declarat Schilter. *ibid. §. 132. 141.* Conf. *Us. mod. MSC. ad tit. qui testam. fac. poss. §. 6.*

Circa test. ad pias causas;

Controversias circa testamentum ad pias causas peperit, quod Dd. in exponendo jure canonico alii testamentum ad pias causas ad normam testamenti rusticorum, alii vero ad normam militaris explicare voluerint; Conf. Schilter. *d. l. §. 115-118.* Rursus alii ad normam dispositionis paternæ inter liberos. Conf. *Us. mod. MSC. d. l. §. 7.* Jam olim status imperii de fraudibus Cleri captantis testamenta ad pias causas conquesti sunt *gravam. 93.* apud Schilterum *de libert. Eccles. Germ. p. 920.*

Circa testam. rusticorum.

De testamento rusticorum repetenda observatio, quam modo dedimus de testamento tempore pestis condito. Adde Schilterum *d. §. 115 -- 118.*

TIT.

TIT. II.

De acquirenda vel omittenda hereditate.

SUMMARIA.

An divisio heredum Justinianea in usu? An hodie non valeat repudiatio hereditatis ante conditionem existentem? An possessio absque apprehensione transferatur in heredem? An hereditas non adita transmittatur? An semel adita repudiari possit?

DE distinctione Triboniani inter heredes necessarios, suos & necessarios & extraneos, jam occupavimus dicere *ad Instit. de hered. qual. & differ. p. 194.* Hodie enim omnes heredes sunt voluntarii. *An divisio heredum Justinianea in usu?*

Regulam, quod possit hereditatem repudiare, qui potest adire, nimis subtiliter extendebant JCti Romani, v. g. quod non valeat renunciatio ante conditionem existentem, etsi potestativam, *l. 13. h. t.* Sed hanc subtilitatem in Germania non esse receptam, docet Schilter. *Exerc. XXXVIII. §. 157 - - 161.* *An hodie non valeat repudiatio hereditatis ante conditionem existentem?*

Possessio hereditatis de jure Romano apprehendenda erat, & sola aditione non transferebatur; At secundum principia juris Germanici apprehensione non opus est; Add. D. Beyer. *ad h. t. §. 2. seq.* quod & jure Magdeburgico obtinet. *An possessio absque apprehensione transferatur in heredem?*

Porro apud Romanos quidem non transmittebatur ad heredes nondum adita hereditas; ista regula tamen tot limitationibus obnoxia erat, ut exiguus ejus superesset usus. Apud Germanos vero etiam extraneus *An hereditas nondum adita transmittatur?*

neus hereditatem non aditam transmittit, ut ostendunt Colerus, Richter & Carpzovius citati *Us. mod.* §.*6.* Et consentit etiam ipse *Us. mod. eod.* §. *in fine*, dum dicit, hodie non requiri aditionem solennem, sed sufficere qualemcunque voluntatis declarationem. Dissent. D. Beyer. *ad Instit. de hered. qual. & differ.* §.*10.*

An semel adita repudiari possit?

De repudiatione hereditatis semel aditæ vid D. Beyer. *ad h. t. posit. 7. seq.* & *Us. mod.* §. *12.*

TIT. III.

Testamenta quemadmodum aperiantur, inspiciantur, & describantur.

An & quando solennis apertura, it. publicatio testamenti obtineat?

NOn confundenda est solennis apertura, de qua agit hic titulus cum publicatione testamenti. MORIBUS enim solennis apertura fere nunquam, publicatio fere nonnisi in testamentis judicialibus fieri solet. Adde D. Beyer. *ad h. t.* Schilter. *Exerc. XXXVIII. th. 166--174.*

TIT. IV.

Si quis omissa causa testamenti ab intestato, vel alio modo possideat hereditatem.

Cur hujus tit. exiguus usus?

USUS hujus tituli in praxi rarius occurrit, partim quia non adeo frequenter soli heredes ab intestato instituuntur, partim, si instituantur, non solent causam intestati præferre causæ testamentariæ, cum sciant, id nulli usui ipsis futurum esse.

TIT. V.

De SCto Silaniano & Claudiano, quorum testamenta ne aperiantur.

De

DE sententia horum duorum SCtorum & edicti prætorii vide Huberum in *Prælectionibus ad h. t.* USU Germanorum hunc titulum non esse receptum fatetur *Us. mod. hic* §. 2. Quod vero *ibid.* & apud Schöpferum *n. 4.* additur, quod heres debeat saltem magistratui denunciare cædem testatoris, non probatur ex *Ordinatione Crimin. art. 214.* Et vellem saltem casum ostendi, qui in praxi obtinuerit. *Sententia & usus tituli. An heres debeat denunciare mortem testatoris violentam?*

TIT. VI.

Si quis aliquem testari prohibuerit vel coegerit.

SUMMARIA.

Sensus tituli. Quid hodie circa prohibitionem obtineat? De blanditiis remissive.

CUm multi Dd. in explicatione hujus tituli confundant pœnam prohibentium & cogentium, etiam Huberus, ut monui ad ejus *positiones* & in *nov. addition. ad prælect. h. t.* etiam Schilterus *Exerc. XXXVIII.* §. *181. seqq.* ante omnia sensus verus tituli est notandus. Scilicet si testator prohibetur, id fit, vel ab herede legitimo aut in priore testamento scripto, & tum hujus portionem aufert fiscus, reliquis vero coheredibus id non nocet; vel a tertio, & tum iterum prioribus non nocet; Si cogitur, testamentum istud est ipso jure nullum, & hereditas manet legitimis aut in priore testamento scriptis. *Sensus tituli.*

Porro observanda dissensio Dd. quoad USUM practicum portionis ad fiscum jure Romano pertinentis, ubi verior videtur sententia D. Beyeri *p. 475. posit. 20.* Scili- *Quid hodie obtineat circa prohibitionem?*

Scilicet hodie etiam in casu prohibitionis (quamvis & hæc rarissime contingat) portionem illam pertinere ad coheredes, excluso fisco, contra doctrinam Schilteri §. 182. Conf. *Us. mod.* §. 1. *hic.*

De blanditiis remissive.

De blanditiis dixi in disputatione *de jure injusto heredipetarum* §. 32. *seqq.*

TIT. VII.

De jure codicillorum.

SUMMARIA.

Historia codicillorum & fideicommissorum. Inepta extensio clausulæ codicillaris. | *An ejus usus in testamento, ubi frater præteritus & turpis persona instituta.*

Historia codicillor. & fideicommissorum. Inepta extensio clausulæ codicillaris.

ORiginem & progressum codicillorum & fideicommissorum apud Romanos, vide apud D. Beyerum *h. t.*

Clausulam codicillarem a pragmaticis etiam in Germania nimis esse extensam contra principia juris Romani, erudite docet Huberus *ad Instit. h. t.* ubi etiam de ineptitudine clausulæ consuetæ Notariorum, quod debeat testamentum valere in vim testamenti nuncupativi, aut donationis inter vivos, & de illo abusu practicorum, quasi scilicet clausula codicillaris etiam non expressa censeatur tamen indistincte adesse tacite.

An ejus usus in testamento fratris, qui turpem personam instituit?

De dissensu Dd. circa quæstionem, an clausula codicillaris conservet testamentum, ubi frater præteritus & turpis persona instituta est, vide apud Schöpferum *hic n. ult.* Sed tamen ejus usus practicus erit rarissimus, cum ejusmodi casus vix in seculo contingat.

LIB.

LIB. XXX. XXXI. XXXII.
De legatis & fideicommissis.
SUMMARIA.

An viridis observantia hujus doctrinæ in genere? An quoad legatum rei alienæ? it. quoad jus accrescendi inter conjunctos.

QUamvis Dd. communiter doceant, hic omnia esse in viridi observantia, ostendent tamen dicta *ad Institutiones h. t. p. 196. seqq.* passim, multas limitationes pati hanc assertionem. *An viridis observantia hujus doctrinæ in genere?*

Credo etiam rarissime hodie occurrere casus, ubi quis leget rem alienam, multo minus ubi rem suam, quasi alienam, aut legatarii. Quod si tamen res aliena legata fuerit, ostendi *ad* §. 4. *Instit. de legat.* haud magnum esse posse usum practicum doctrinæ, quod legatarius probare debeat, testatorem scivisse, rem alienam esse. *An quoad legatum rei alienæ &c.?*

Rarissimus etiam erit usus quæstionis de jure accrescendi, si concurrant re vel verbis, vel utrimque conjuncti. *it. quoad jus accrescendi niter conjunctos?*

LIB. XXXIII.
TIT. I.
De annuis legatis & fideicommissis.
SUMMARIA.

Observationes generales de usu hujus & sequentium titulorum. An annui legati frequens usus?

QUæ jam hoc & pluribus sequentibus titulis traduntur, maximam partem continent expositio- *Observationes generales de usu hujus*

nem

& sequentium titulorum.

nem mentis testatoris, adeoque continent conclusiones ex regulis bonæ interpretationis desumtas. Et hactenus haud dubie sunt in usu, si modo 1) possint applicari ad idioma Germanicum, 2) si modo etiam frequens sit usus ejusmodi legatorum apud nos. Quod si 3) decisiones JCtorum sapiant nimiam subtilitatem JCtorum Romanorum, de earum usu in Germania merito dubitari potest. Unde pro declarandis his tribus observationibus in sequentibus exempla quædam adjiciemus.

An annui legati frequens usus?

Ita v.g. asserit quidem *Us. mod. hic §. 1.* peculiaria quæ legatum annuum præ aliis legatis habet, omnia in praxi quoque observanda esse; Mihi tamen hactenus haud licuit frequentem ejusmodi legati usum observare.

TIT. II.

De usu & usufructu &c. per legatum vel fideicommissum datis.

An usus distinctionis inter legatum fundi simpliciter & deducto usufructu?

EXhibet quidem Carpzovius præjudicium Scabinorum Lipsiensium *P. 3. Const. 13. def. 7.* quod secundum *l. 19. ff. h. t.* sit pronunciatum in casu, ubi quis uxori usumfructum omnium bonorum legaverat, Cajo vero hortum (non addita clausula *deducto usufructu.*) Sed valde dubito, an subtilitas juris Romani distinguentis inter legatum fundum simpliciter & deducto usufructu, apta sit ad mores Germanorum simplices. Nec præjudicium apud Carpzovium poterit facere usum forensem per dicta in *Historia juris p. 198.*

TIT.

TIT. IV.

De dote prælegata.

AN MORIBUS Germaniæ prælegatum dotis uxori sit utile, dissentiunt pragmatici. Vide Schilterum *Exerc. XXXIX. th. 77.* Adde D. Beyerum *p. 480. §. 6. & 7.* B. Hopp. *ad §. 15. Inst. de legatis*, item *Us. mod. h. t.* *Dissensus circa usum prælegatæ dotis.*

TIT. V.

De optione vel electione legata.

SUMMARIA.

An valeat legatum generis si testator id non reliquit? An hic usum habeat distinctio inter genus a natura & facto hominis determinatum? An gleba veniat fundi nomine? An differentia inter legatum vindicationis & damnationis abrogata?

SI testator legatum generis constituit, in bonis vero ejusmodi genus non reliquit, distinguunt Dd. utrum genus naturalem habeat determinationem, ut equus &c. an vero facto hominis determinationem acceperit, ut domus, fundus &c. Prius dicunt valere, posterius derisorium esse. Verum etsi pro sententia priore allegentur *l. 37. pr. de legat. 1. l. 84. §. 3. ff. eod.* vid. Schöpfer *hic. n. 38.* illi textus tamen nec quicquam probant; Imo etsi in *l. 24. §. 3. eod.* expresse dicatur, fundorum & domus nomina nostra destinatione, non natura constitui, non tamen ibi applicatio hujus distinctionis ad quæstionem præsentem facta est. Et non video, quomodo dici possit, v. g. equos habere determinationem naturalem, cum equus generosissimus, *An valeat legatum generis, si testator id non reliquit? An hic usum habeat dist. inter genus a natura & facto hom. determinatum?*

 &equus

& equus nihili, eine Schindmehre/ Karngaul/ æque sint equi. Ergo simpliciter dicerem, si testator non habeat equum, legatum esse derisorium, *arg. l. 71. pr. de leg. 1.* Conf. dicta *ad Institutiones §. 22. & 23. de Legatis p. 199.* Et profecto si legatum domus derisorium est, si domum nullam habeat testator, multo magis derisorium erit legatum equi, nam minima etiam domus, imo saltem ejus area plus valebit, quam eine Schindmehre.

An gleba veniat fundi nomine?

Ceterum quid ad rationem, cur legatum generis facto hominis determinati derisorium sit, quod scilicet etiam gleba fundi nomine veniat, respondendum sit, docui in *programmate peculiari* adjecto disputationi *de protestatione jus protestantis non conservante.*

An differentia inter legatum vindicationis & damnationis abrogata?

In doctrina de electione heredis & legatarii in legato generis, quæstio præjudicialis est, an per exæquationem legatorum in legibus Codicis & Institutionibus, illa differentia antiqua inter legatum vindicationis & damnationis incaute in Pandectis relicta, sit abrogata. Pragmaticos dissentire docet Schilterus *Exerc. XXXIX. §. 81.*

TIT. VI.

De tritico, vino, vel oleo legato.

SUMMARIA.

Quid intelligatur sub legato vini? it. cerevisiæ?

Quid intelligatur sub legato vini?

Vino legato continetur omne, quod ex vinea natum, & vinum mansit, nisi testator & alia v. g. acethum, zythum &c. vini nomine habuerit, *l. 9. pr. h. t.* quod ultimum MORIBUS nostris non procedit.

cedit. Hic enim & in sequentibus titulis similibus cujusque regionis mores & idioma respiciendum. Schilter. *Exerc. XXXIX. th. 85.* Huberus *hic.*

De differentia zythi & cerevisiæ vide Schilterum *d. l.* Putem tamen, si testator alle sein Bier legaverit, comprehendi etiam Breyhahn. *It. cerevisiæ?*

TIT. VII.

De instructo, vel instrumento legato.

SUMMARIA.

Instructi & instrumenti denominationes variæ apud Germanos. An hodie legatum instrumenti interdum consideretur ut principale?

JUre Romano fundus instructus continebat fundum cum instrumento, non vice versa. MORIBUS Germaniæ ad idiomatis sensum respiciendum erit. Aliud ergo est ein Gut mit dem Inventario und Hoffwehr / aliud, mit völliger Einrichtung; aliud, mit aller Zugehör / wie es stehet und lieget. Schilter. *Exerc. XXXIX.* §. *85. seq.* a quo aliquo modo dissentit D. Beyer. *ad Institutiones de legatis posit. 118. seq.* non sine ratione asserens, ultimum horum plenius esse reliquis, adeoque plus continere, quam legatum fundi instructi. Unde facile judicandum, quid sentiendum sit de Carpzovio *Part. 3. Const. 13. def. 22.* In his & similibus quæstionibus maxime commendandi Wehnerus, Besoldus, Speidelius, qui multa collegerunt in *observationibus practicis*, *thesauro practico*, *speculo observationum variarum*, ad interpretationem idiomatis Germanici facientia. *Instructi & instrumenti denominationes variæ apud Germanos.*

Puto etiam subtilitatem *l. 5. h. t.* de differentia inter *An hodie legatum instru-*

menti consideretur interdum ut principale?

ter legatum fundi *cum* instrumento, & legatum fundi *&* instrumenti, apud nos non habere usum, sed utrobique inventarium haberi pro accessorio fundi, sive legetur, das Gut und Inventarium, sive das Gut mit dem Inventario.

TIT. IIX.
De peculio legato.

An h. t. in usu?

HUjus tituli hodie nullus USUS est, cum tantum agat de peculio servorum; nisi forte quis eum extendere velit ad peculium filii profectitium a patre alteri legatum, qui tamen casus vix in praxi occurret. Confer Schilterum *Exerc. XXXIX. §. 90.* Adde, quod supra *ad tit. de peculio* ostenderimus, doctrinam de peculio servorum & filiorum apud Romanos plane non quadrare ad mores Germanorum.

TIT. IX.
De penu legata.

Legatum penus quomodo denominetur ap. Germanos?

IN idiomate Germanico circa legatum penus iterum respiciendum erit, quid testator dixerit; utrum: alle Speise und Tranck / utrum: alles / was in der Speise-Kammer ist rc. Neque enim solemus legare die Speise-Kammer. Aliud jure Germanico das Mußtheil / Hoff-Speise. Conf. Schilter. *Exerc. XXXIX. §. 91. seq.*

TIT. X.
De supellectile legata.

Varia acceptio supellectilis apud Romanos & Germanos.

VAriationem juris Romani circa significationem supellectilis docte exponit Schilter. *Exerc. XXXIX. §. 94.* Germanice dicimus Haußrath / Meublen, Mobi-

Mobilien. Unde cave, ne putes, wenn Mobilien legiret seyn / intelligi omnes res mobiles. Adde Wehnerum, Besoldum, Speidelium, *voce* Haußrath.

LIB. XXXIV.

TIT. I.

De alimentis, vel cibariis legatis.

SUMMARIA.

Legatum alimentorum quid comprehendat? Cur exiguus hujus tituli usus?

LEgatis alimentis cibaria & vestitum & habitationem deberi, non vero quæ ad disciplinam pertinent, habetur in *l. 6. h. t.* cujus expositionem vide apud Schilterum *Exerc. XXXVII. §. 164. seq.* *Legatum alimentorum quid comprehendat?*

Ceterum apud nos in testamentis rarius alimenta ita generaliter legantur, sed plerumque certa summa ad alimenta destinata. Unde rarior erit hujus tituli usus. *Cur exiguus h. t. usus?*

TIT. II.

De auro, argento, mundo, ornamentis, unguentis, veste vel vestimentis & statuis legatis.

SVMMARIA.

Cautela de usu tituli in genere. Quid hodie denotetur per aurum, argentum, mundum? Gerada an huc pertineat? Legata unguentorum & statuarum rara.

SI in ullo titulo, certe in hoc ad idiomata linguarum respiciendum, & cum leges hic recensitæ nil *Cautela de usu tituli in genere.*

aliud

aliud exponant, quam quid in idiomate latino intelligatur sub his rebus legatis, non consulendum studioso juris, ut se torqueat in applicatione legum illarum ad jura Germanorum, cum citius id discatur ex idiomate Germanico, quod & ipsum tamen pro diversitate seculorum, regionum &c. variat.

Quid hodie denotetur per aurum, argentum;

Ita Gold æque apud nos, ac *or* apud Gallos, magis nummos aureos denotat, quam aurum factum, quod appellamus golden Geschirr. Contra *argent* apud Gallos nummos argenteos denotat, non argentum factum. Apud nos Silber non nummos, sed Silbergeschirr. Ita sub Gold non credo apud nos comprehendi annulos aureos, gemmis pretiosis ornatos.

Mundum.

Cum mundo affinitatem aliquam habet Nachtzeug / Nachttisch / Badezeug. Sed tamen ad nullam harum classem pertinebit matula.

Gerada an huc pertineat?

Gerada affinis quidem est mundo & ornamentis, sed plura tamen continet, & ob varietatem morum circa geradam, singulis seculis, solent scabini sæpius novas sententias declaratorias formare, &c. Conf. Schilter. *Exerc. XXXIX. §. 97. seq.*

Legata unguent. & statuarum rara.

Unguentorum & statuarum legata apud nos rariora sunt; hinc de usu *l. 21. 25.* it. *l. 1. pr. l. 12. & 14. h. t.* frustranea foret disquisitio.

TIT. III.
De liberatione legata.

Obscuritas l. 25. h. t. & Schilteri eam explicantis.

OBscurior est pro more Paulus in *l. 25. h. t.* circa quæstionem, an valeat legatum, si testator dixerit: *Heres meus centum aureos, quos mihi Titius*

tius debet, damnas esto ei dare; Titius autem nihil debeat. Nec multo clarior Schilterus, in hujus textus Paulini explicatione, *Exerc. xxxix. th. 105. seq.* Unde vacillat etiam decisio Schilteri in casu *th. 106.* circa finem.

TIT. IV.

De adimendis, vel transferendis legatis, vel fideicommissis.

AD ademtionem & revocationem legati sufficere nudam declarationem testatoris in schedula factam, sine testium adhibitione, putat Carpzovius *P. 3. C. 13. def. 19. n. 1.* licet alibi contrarium statuat. Et sententia affirmativa etiam placet B. Strykio in *Us. Mod. hic §. 2.* quia videlicet nuda voluntatis declaratio ad revocationem legatorum sufficit. *l. 3. §. 11. h. t.*

An revocari possit legatum in nuda schedula?

TIT. V.

De rebus dubiis.

SUMMARIA.

An in testamentis peculiares requirantur regulæ interpretandi? An illæ ex h. t. petendæ? An neutri debeatur legatum si duo sint ejusdem nominis legatarii? De simul mortuis remissive.

DE interpretatione rerum dubiarum in testamentis Doctores multas tradunt regulas, quas magno volumine collegit Mantica *de conjecturis ultimarum voluntatum* it. Simon de Prætis *de interpretatione ultimarnm voluntatum &c.* Sed magis hic imbu-

An in testamentis peculiares requirantur regulæ interpretandi?

endi ſunt diſcentes ſanis doctrinis de interpretatione in genere.

An illæ ex h. t. petendæ?

Unde facile patet, quid ſentiendum ſit de monito, quod pariter & ad hunc titulum recurrendum ſit, quoties dubium aliquod circa legata occurrat, *Uſ. Mod. hic* §. *1.* Nam uti nullæ leges obligant intellectum, ita nec legum Romanarum ullus eſt uſus practicus in definitionibus, diviſionibus, regulis interpretandi & ſimilibus.

An neutri debeatur legatum, ſi duo ſint ejusdem nominis legatarii?

Sequitur *ibid.* §. *2.* illuſtratio dictorum per caſum *l. 3.* §. 7. *de adim. leg.* quam tamen verbis *Uſ. Mod. MSCti* hic repetere malo. Ita vero B. Autor: *Unde ſi Titio cognato relictum legatum, & duo ſint ejusdem nominis, neutri ob incertitudinem debetur, per l. 3.* §. *7. de adimend. leg. l. 27. h. Nec admittendum eſt, quod Grænevvegen utrique hoc legatum hodie præſtandum, vel inter utrumque dividendum eſſe contendit. Teſtator enim id legatum uni tantum, & quidem in ſolidum id præſtari voluit.* Sed facilis erit pro Grœnewegio reſponſio: In dubio teſtamenta explicanda eſſe, ut voluntas teſtatoris effectum habeat; Si alter Titius non contradicat, legatarius heredi opponet exceptionem de jure tertii; Si contradicat, prudentia ſvadebit utrique, ut ſe uniant contra heredem, quam ut diſſenſu mutuo neuter aliquid accipiat &c.

De ſimul mortuis remiſſive.

Qualis interpretatio obtineat in caſu de ſimul mortuis, qui in *l. 8. it. l. 9. hic* occurit, latius dixi in diſputatione Lipſienſi *de prioritate ac poſterioritate temporis dubia, cap. 3.* Conf. D. Beyer *hic*, Schilter. *Exerc. XXXIX.* §. *11. ſeq.*

TIT. VI.

TIT. VI.

De his, quæ pœnæ cauſa relinquuntur.

SUMMARIA.

Correctio legati pœnæ cauſa. An ejus uſus? Legatum ambitioſum.

HIſtoriam legatorum pœnæ cauſa erudite expoſuit Schilterus *Exerc. xxxix.* §. *116. ſeq.* Jure novo legatum hoc non conditionale eſt, Schilter §. *110.* ſed alternativum, D. Beyer *hic.* *Correctio legati pœnæ cauſa.*

Etſi autem correctio juris veteris in Codice facta hodie uſum habeat, quia ſe fundat in æquitate naturali, tamen apud Romanos hanc correctionem facere erat opus ob ſubtilitatem juris antiqui. Et opus adeo habet juris veteris & novioris collationem ſcire ſtudioſus juris Romani. Studioſus praxeos juris Germanici ſcientia illa juris veteris non habet opus. *An ejus uſus?*

De legato ambitioſo vid. Schilter. *ibid.* Exemplum eſt in Svetonii *Domitiano*, ubi Ruſcius Cæpio caverat, ut heres ſuus Senatoribus curiam ingredientibus quotannis certam ſummam viritim præſtaret. Quod legatum tamen irritum fecit Domitianus. *Legatum ambitioſum.*

TIT. VII.

De regula Catoniana.

SUMMARIA.

Doctrina hujus regulæ unde petenda? An ea pertineat ad legatum hæretico relictum ſub conditione ſi orthodoxus fiat?

 Uti

Doctrina hujus regulæ unde petenda?

UTi regulæ Catonianæ ſenſum exhibent omnes Pandectarum interpretes, ita doctrina de ejus extenſione ad varias juris materias, de reſtrictione ejusdem & uſu exiguo hodierno optime addiſci poteſt ex iis, quæ habet D. Beyer. *p. 483. ſeq.* qui notabiliora ex Balduini *Commentario ad reg. Caton.* & Gothofredi *Comm. ad l. 29. 201. & 210. de R. J.* excerpſit.

An ea pertineat ad legatum hæretico relictum ſub conditione ſi orthodoxus fiat?

Ad conditionales inſtitutiones non pertinere regulam Catonianam ait Ulpianus in *l. 4. hic.* Unde dicunt Dd. hæreticum inſtitui poſſe heredem, vel etiam legatum ei relinqui poſſe, ſub clauſula, ſi orthodoxus factus fuerit. Sed quæſtio præjudicialis eſt, an ex alio capite hujusmodi inſtitutio valeat, & annon potius hæc conditio turpitudinem involvat; de qua & ſimilibus quæſtionibus dixi in *Programmate præmiſſo notis ad poſitiones Huberi in Pandectas.* Huc pertinet etiam ratio prohibiti legati ambitioſi, de quo *ad tit. præcedent.*

TIT. VIII.

De his, quæ pro non ſcriptis habentur.

SUMMARIA.

An uſus tituli in deportatis? An in caſu ſi quis ſibi quid adſcripſit in teſtamento ſcripto, it. nuncupativo?

An uſus tituli in deportatis?

CUm MORIBUS noſtris deportatio non ſit in uſu, hinc nec diſpoſitio Romana, quod legatum deportato relictum propter ipſius incapacitatem pro non ſcripto habeatur, ad inſtituta patriæ noſtræ quadrat.

An in caſu, ſi quis ſibi quid

Neque etiam credo, quod pœna legis Corneliæ apud

apud nos teneatur, qui ſibi aliquid adſcripſit in teſtamento. Id vero recepimus, ut pro non ſcripto habeatur, niſi teſtator in ſubſcriptione hujus rei mentionem fecerit, ſe volente hoc adſcriptum eſſe; Carpz. *P. 3. C. 3. Def. 10.* *adſcripſit in teſtamento ſcripto?*

Dubia tamen Carpzovii opinio eſt, quam habet *d. l. Def. 3. n. 6.* ubi putat, nec in nuncupativo teſtamento ſibi aliquem quid adſcribere poſſe. Hujus enim teſtamenti fides non a ſcriptura, ſed a depoſitione teſtium dependet, *Uſ. mod. §. 2. hic.* *It. nuncupativo?*

TIT. IX.

De his, quæ ut indignis auferuntur.

SUMMARIA.

Ad quem hodie ſpectent res indignis relictæ? Quis habeatur pro indigno?

MORIBUS multorum locorum res indignis relictas non fiſcus aufert, ſed heredes retinent, D. Beyer. *p. 484. poſ. 17.* Conf. Schilter. *Exerc. XXXVIII. §. 179.* Diſſentit *Uſ. Mod. hic §. 1.* ad Mevium *P. 5. Dec. 154.* aliosque provocans, it. *§. ult.* *Ad quem hodie ſpectent res indignis relictæ?*

Videndum etiam, an hodie omnes pro indignis habeantur, qui tales erant jure Romano, de quibus vid. *Uſ. mod. §. 2. ſeqq.* Contrarium enim jam notavimus de caſu SCti Silaniani *ad illum titulum.* Ita etiam v. g. tutor hodie non amplius prohibetur pupillam ducere, ut ſupra in materia nuptiarum notavimus. Conſentit *Uſ. mod. §. 4. & 6. hic.* *Quis habeatur pro indigno.*

LIB. XXXV.

TIT. I.

De conditionibus & demonstrationibus &c.

De usu tit. remissive.

DE USU hujus tituli forensi repete dicta superius *ad lib. XXXIIX. tit. 7. de condit. institution.*

TIT. II.

Ad legem Falcidiam.

Usus & non usus L. Falcidiæ?

DEtractio Falcidiæ apud nos post receptam doctrinam testamentariam Romanorum sine dubio obtinet, uti & ea quæ de deducendo ære alieno & impensis funebribus in jure Rom. disponuntur, vid. *Notas ad Instit. §. 3. h. t. p. 201.* Neque etiam cessat jure Germanico detractio Falcidiæ, etsi heres inventarium non fecerit, iis scilicet in locis, ubi specificatio jurata est recepta. Vide supra notata *ad tit. de jure deliberandi.* Notat tamen Schilterus *Exerc. XXXIX. th. ult.* alicubi in Germania & in aliis Europæ regnis nec Falcidiam legem nec Trebellianicam attendi.

LIB. XXXVI.

TIT. I.

Ad SCtum Trebellianum.

SUMMARIA.

An in fideicommissis verba imperativa habeantur pro precativis? Quando valeat fideicommissum absque testibus? An liberi detrahere possint legitimam & Trebel-

Trebellianicam simul? An fideicommissa familiæ constitui possint per pacta? An actio fideicommissarii speciale habeat nomen?

Fideicommissum fiebat apud Romanos verbis precativis regulariter, sed tamen, & imperativa verba a veteribus JCtis ad precaria referebantur, vide Notas *ad §. ult. Inst. de sing. reb. per fideicomm. rel. p. 203.* Confer. Schilter. *Exerc. XL. §. 40.* qui etiam *ibid. §. 3. ad §. 16.* originem & progressum SCti Trebelliani erudite exponit. *An in fideicommissis verba imperativa habeantur pro precativis?*

Etsi porro de jure Romano in fideicommisso constituendo præsentia quinque testium requiratur, valet tamen etiam eo casu, si præstatio fideicommissi præsenti heredi injuncta, quod etiam ad fideicommissa particularia & legata extenditur. Dixi in *Notis ad §. ult. Inst. de fideic. hered. p. 202.* *Quando valeat fideicommissum absque testibus?*

De jure Romano liberi, qui legitimam detrahunt, Trebellianicam non detrahere possunt; at de jure canonico utriusque detractio eis permissa est. Et quamvis communiter dicant, moribus non admitti detractionem utriusque in fideicommisso puro, sed saltem in conditionato & ex die relicto; Hanc praxin tamen non esse universalem, sed in multis locis sententiam juris canonici simpliciter esse receptam docet Schilterus *Exerc. XL. §. 16. ad 22.* ubi & *§. 23.* agit de prohibitione detractionis Trebellianicæ. *An liberi detrahere possint legitimam & Trebellianicam simul?*

Nullum etiam dubium est, quin hodie per pacta & conventiones inter vivos fideicommissa familiæ constitui possint. Vide Schilter. *Exerc. XL. §. 47.* it. *Us. mod. hic §. 4.* *An fideicommissa familiæ constitui possint per pacta?*

Actio,

An actio fideicommissarii speciale habeat nomen?

Actio, quæ fideicommissario competit adversus fiduciarium, jure Romano speciale nomen non habet, & nos eo minus hodie de eo debemus esse solliciti, quo magis certum est, actionum nomina hodie non exprimi, sed implorationem officii judicis esse remedium generale. Unde nec solliciti esse debemus de actionis nomine, qua petatur fideicommissum per pacta constitutum, de qua disputat Schilterus. *Exerc. XL.* §. *50.*

TIT. IV.

Ut in possessione legatorum vel fideicommissorum servandorum causa esse liceat.

An frequens tituli usus?

ETsi *Usus modernus* §. *1. hic* asserat, hodie non esse supervacuam immissionem ex hoc titulo legatario & fideicommissario competentem, adde Brunnem. *ad l. 5. h. t.* item Schilter. *Exerc. XL. th. ult.* non diffitendum tamen, rariorem hujus tituli hodie esse USUM, conf. D. Beyer. *p. 489.* Lauterbach. *ad hunc tit.* Neque etiam video, ex quo fundamento utilior possit dici hæc immissio, nam plures sibi impensas causaret legatarius eam impetrando, cum enim illa nec possessionem, nec dominium transferat, sed conditione existente de novo adeundus sit judex, satius sine dubio est, statim actione hypothecaria uti.

LIB. XXXVII.

TIT. I.

De bonorum possessionibus.

SUMMARIA.

An petitio bonorum possessionis hodie necessaria? An utilis?

An

AN bonorum possessiones hodie in praxi abrogatæ sint, an vero adhuc obtineant, disquiritur. Hic duæ quæstiones separandæ; (1) An bonorum possessionis petitio in praxi adhuc sit necessaria; & (2) si non necessaria, annon tamen in praxi utile sit, ad hæc remedia prætoria confugere. Quoad primam quæstionem dicimus, non tantæ necessitatis hodie esse bonorum possessionem, ac erat tempore JCtorum, cum jus succedendi ex testamento per *Nov.* 115. & ab intestato per *Nov.* 118. maximam partem immutatum, & illa scrupulosa subtilitas, quam suis bonorum possessionibus temperare voluerunt prætores, per ipsum Imperatorem Justinianum sublata, ut hinc successuris per remedia juris novissimi satis sit consultum. Supersunt tamen adhuc casus, quibus nonnisi ex prætorio beneficio ad successionem quis promoveri potest, ut adeo hoc intuitu bonorum possessio sit necessaria. *An petitio bonorum possessionis hodie necessaria?*

Utilitatem bonorum possessionis quod attinet, illa hodie non cessat, sed interdum consultius est, bonorum possessionem petere, quam hereditatem. Citius enim bonorum possessio conceditur, cum summarie hic procedatur, & faciliores probationes, quam in hereditatis petitione admittantur, exceptiones vero, quæ altioris sunt indaginis, ad petitorium judicium remittantur &c; Ita disserit *Us. mod. h. t.* §. 5. Quænam sit nostra opinio, jam indicavimus in *Notis ad Instit. h. t.* p. 207. *seq.* Unde facile satisfieri poterit dubiis modo recensitis. Ut taceam, dubium ultimum de remissione exceptionum ad petitorium, satis aperte confundere bonorum possessionem cum remediis possessoriis. *An utilis?*

TIT. II. III.

Si tabulæ testamenti extabunt. De bonorum possessione furioso, infanti, muto, surdo, cæco competente.

An hi tituli in usu?

EAdem de USU forensi horum duorum titulorum dicenda sunt, cum sint appendices tituli primi; nisi quod in *tit. 2.* contineatur regula juris naturalis, non solum in bonorum possessione, sed & in hereditate civili valitura.

TIT. IV.

De bonorum possessione contra tabulas.

Cur hic tit. hodie non necessarius?

HIc titulus hodie necessarius non est, cum omnibus illis, quibus prætor contra tabulas succurrit, scilicet liberis præteritis, vel non legitime exheredatis *l. 1. & l. 8. §. 2. h. t.* abunde tam contra testamentum patris, quam matris fuit consultum per *Novell. 115.* per quam Novellam insuper emancipatorum & suorum differentia sublata, ut sic emancipati, quibus tamen in hoc titulo præcipue consulere voluit Prætor, hodie non amplius indigeant remedio prætorio. Ita *Usus modernus MSC. hic.* (Obiter nota, in *edit. posth. Us. mod. h. §. 1.* sensum dictorum admodum turbari per sphalma typographicum verbis: *non* exæquatos esse &c. quod ex contextu & dictis *ibid. p. 776.* corrigendum.) Ad objectiones contra hanc sententiam jam respondi in *Notis ad Institutiones de B. P.* Dubitanter pro hypothesi sua loquitur Schilterus *Exerc. XLI. §. 12.*

TIT.

TIT. V.

De legatis præstandis contra tabulas bonorum possessione petita.

QUamvis dici possit, per *Nov. 115.* huic titulo non esse derogatum, cum agat de testamento rescisso juris civilis, non prætorii, vid. B. Brunnem. *Exerc. 16. ad Inst.* contraria tamen sententia in praxi obtinet. Ita *Usus mod. §. 2. h. t.* *An hic titulus in usu?*

TIT. VI. & VII.

De collatione. De dotis collatione.

HOdie quidem collatio liberorum est in USU, sed non collatio illa prætoria, quam intendit Prætor in hoc titulo. De collatione tamen hodierna doctores varie dissentiunt, vide *Us. mod. tit. 6. & 7.* Carpz. *P. 3. Const. 11.* Brunnem. pec. tract. *de bonorum collationibus.* *Collationis usus. Dissensus Dd. circa eam.*

TIT. IIX.

De conjungendis cum emancipato liberis.

CUm per *Nov. 118.* filiis prærogativa præ nepotibus concessa, & filius adeo indistincte liberos ex se natos ab avi successione excludat, hinc nullum hodie USUM habet hic titulus. Consent. *Us. mod. hic.* *Cur hujus tit. nullus usus?*

TIT. IX.

De ventre in possessionem mittendo, & curatore ejus.

 Quam-

An hic tit. obtineat?

QUamvis communiter hujus tituli usum hodiernum asserant doctores, vide præter *Us. mod. hic* §. 2. Schöpferum *hic in fine*; facile tamen contrarium defendi potest per dicta superius *ad tit. de ventr. inspiciendo.*

TIT. X.

De Carboniano edicto.

An tit. usus?

HUjus tituli USUS hodie non quidem nullus, sed tamen rarissimus est, cum rarissime apud nos impuberibus moveatur status controversia.

TIT. XI.

De bonorum possessionibus secundum tabulas.

SUMMARIA.

An hodie habeamus bonorum possessionem prætoriam? || *An ejus casus frequentes?*

An hodie habeamus B. P. prætoriam?

ITa quidem est, dispositio legum in casibus, in quibus hodie bonorum possessionem dicunt esse in usu, obtinet; sed tamen accurate loquendo hodie non amplius est bonorum possessio prætoria, per dicta *ad Institutiones tit. de bon. poss. p. 207. seq.*

An ejus casus frequentes?

Imo etiam casus, quibus necessaria dicitur hodie bonorum possessio, sunt rarissimi, alii vix dabiles, ut casus, si testator capitis diminutionem passus, ac postea restitutus sit, item si duo testamenta inveniantur, nec appareat, utrum sit posterius, vel si heres sub conditione potissimum casuali sit institutus, & pendente conditioue hereditate frui velit. Neque enim credo, casum

casum afferri posse, quo heres in Germania sub conditione casuali sit institutus. Vide *Us. mod. hic* §. 6. & 7.

TIT. XII.

Si à parente quis manumissus est.

PAter si a filio emancipato præteritus esset, ex hoc titulo bonorum possessionem contra tabulas consequebatur. Quo remedio hodie non habet opus, cum & filius emancipatus patrem heredem, aut ex justa causa exheredem scribere teneatur. Quod si eundem præterierit, testamentum est ipso jure nullum, per *Nov.* 115. c. 4. *Us. mod. h. t.* §. 1.

An hodie hoc titulo opus sit?

TIT. XIII.

De bonorum possessione ex testamento militis.

PRætor concedit bonorum possessionem ex testamento militis secundum tabulas, sed non contra tabulas. HODIE hac bonorum possessione non est opus per dicta *ad Institutiones de B. P.*

An h. t. in usu?

TIT. XIV.

De jure patronatus.

HIc titulus apud Germanos non habet USUM, quia intuitu hominum propriorum jus patronatus non est receptum. Unde etiam cessat tituli sequentis usus quoad patronos.

Cur hujus tituli nullus usus?

LIB. XXXIIX.

TIT. I.

De operis libertorum.

An hic tit. quadret ad operas militares & rusticorum?

ET hic titulus male applicatur a pragmaticis ad operas militares & rusticorum, cum hæ toto cœlo differant ab operis libertorum, & operarum rusticorum determinatio magis ex consvetudine, quam a lege scripta petenda sit. *Us. mod. hic* §. *1.* Schilter. *Exerc. XLI.* §. *40. seq.* D. Beyer *de statu hominum & ad h. t.*

TIT. II. III. IV. V.

De bonis libertorum. De libertis universitatum. De assignandis libertis. Si quid in fraudem patroni factum sit.

An hi tituli in usu?

HI tituli cum sint appendices tituli primi, etiam hodie nullum habent USUM. Et fere consentit *Usus modernus.*

TIT. VI. ad XVII.

Si tabulæ testamenti nullæ extabunt unde liberi. Unde legitimi. Unde cognati. &c. &c.

An successio intestata prætoria in usu? inprimis ratione conjugum.

ET de non usu horum titulorum consentit *Usus modernus.* Quæ vero hinc inde inseruntur de aliquo eorum usu, ad ea responderi potest per dicta *ad Institutiones de bonor. possession.* Ita quoad usum *tit. XI. Unde vir & uxor* asseritur quidem ejus usus, si conjuges velint succedere in universa bona. Sed quæstio præjudicialis est, an hoc casu jus Romanum sit receptum. Cum enim de successione conjugum disponant mores & leges Germanorum, non potest dici, quod deficiant, ut jure subsidiario sit opus.

Successio ab

Quod successionem novam Justinianeam, quam

loco

loco priorum titulorum hic explicant interpretes, attinet, ab ea in multis discrepavit successio antiqua Germanorum, cujus rudera cum adhuc passim occurrant in foro, & nulla sit provincia, quæ non peculiaria capita de successione ab intestato in Ordinationibus politicis contineat, inde tutius studiosi quoad usum practicum eo ablegantur. Confer interim autores, quos citat D. Beyer *ad tit. quis ordo in bon. possess. servetur*, & dicta a nobis *ad initium lib. III. Institutionum*.

intestato hodierna unde addiscenda?

LIB. XXXIX.

TIT I.

De operis novi nunciatione.

SUMMARIA.

Nunciatio realis quid? Quomodo apud Germanos fieri debeat nunciatio? An usufructuarius nunciare possit?

NUnciationem novi operis privatam Dd. dividunt in verbalem & realem, & ad posteriorem referunt eam, quæ fit per lapilli jactum *l. 5. §. 10. h. t.* Schilterus tamen *Exerc. XVIII. th. 37.* & *Exerc. XLII. §. 16. & seq.* hanc nunciationem a reali, id est, quæ manu seu vi justa fit, distinguit. Et fatetur etiam *Us. mod. hic §. 3.* in legibus ei nunciationis vocabulum vix tribui, sed saltem prohibitionis per manum factæ.

Nunciatio realis quid?

De praxi juris Germanici latius egit Schilterus *Exerc. XLII. §. 18. ad 27.* ubi docuit, etiam eam, quæ fit per Notarium, parum operari, atque in genere principiis juris patrii repugnare, ut absque judicis officio privata nunciatio effectum habeat; Et hunc modum

Quomodo ap. Germanos fieri debeat nunciatio?

nun-

nunciandi per implorationem officii judicis, in praxi obtinere, consentit *Us. mod.* §. 4. & Mevius *ibid.* citatus.

An usufructuarius nunciare possit?

De usufructuario dissensisse JCtos Romanos, an ille novum opus nunciare possit, erudite docet Schilterus *ibid.* §. 8. & 9. atque Juliani sententiam *in l. un. de remiss.* usufructuario concedentis nunciationem, principiis juris Germanici, utpote a subtilitate juris Quiritium remotioris, esse magis conformem.

TIT. II.

De damno infecto, & desuggrundiis & protectionibus.

SUMMARIA.

An cautio a vicino necessario petenda? An usus missionis ex primo & secundo decreto?

An cautio a vicino necessario petenda?

PUtat equidem Schilterus *Exerc. XLII.* §. 28. *seq.* vicinum, etiam omissa cautione, teneri de damno per ædes ruinosas dato resarciendo; sed tamen verius, nullam obligationem hic subesse. Consentit *Us. mod. hic* §. 2.

An usus missionis ex primo & secundo decreto?

Ceterum, quæ jus Romanum hic de missione in possessionem ex primo & secundo decreto disponit, (quas missiones communiter doctores cum missionibus, quæ hodie in executione fiunt, confundere solent) in usu fori Germanici non apparent, secus ac putat Schilterus *Exerc. XLII.* §. 36. *seq.* Conf. D. Beyerum *hic posit. ult.* Neque formulæ germanicæ utriusque decreti, quas citante *Us. mod.* §. 7. Hahnius recensuit, testimonium de usu forensi earum perhibent, uti nec ea, quæ ex Hubero adducuntur, quod quis missionem

nem in possessionem, si velit, impetrare *possit*.

TIT. III.

De aqua & aquæ pluviæ arcendæ.

Cum ipsa *l. 1. §. 17. h. t.* ostendat, actionem negatoriam generalem esse, verosimile est, actionem aquæ pluviæ arcendæ datam fuisse a lege XII. Tabb. cum nondum inventa esset actio negatoria. Qua inventa, illius amplius nullus erit USUS, certe in foris Germaniæ. Vid. disput. Lipsiens. *de servitute stillicidii §. 39. seq.* D. Beyerum *hic*.

Actionis hujus tit. origo. An ejus usus?

TIT. IV.

De publicanis, & vectigalibus & commissis.

An hic tit. applicari possit ad quæstiones juris publici de vectigalibus? An usus actionum contra publicanos? Ratio vectigalium hodierna. An nobiles ab iis immunes?

In hoc titulo secernendæ quæstiones juris publici ab actionibus juris privati. Illæ non tuto ex jure Romano solvuntur, de quo alias. Interim de iis varia attulerunt Schilter. *Exerc. XLII. Us. mod. ad h. t.*

An hic tit. applicari possit ad quæstiones jur. publ. de vectigalibus?

Actiones juris privati adversus publicanos ad duplum & triplum MORIBUS Germanorum non sunt receptæ, frustra dissentiente Schiltero, vid. D. Beyer. *hic*, & quæ diximus *de usu action. pœnal. cap. 2.*

An usus actionum contra publicanos?

Ita hodie etiam vectigal non amplius est octava pretii, sed pro diversitate provinciarum variat. Nec nobiles hodie generaliter a vectigalibus sunt exemti, sed quoad illas res tantum, quas ex suo fundo perceperunt

Ratio vectigalium hodierna. An nobiles ab iis immunes?

perunt, vel quibus ad sustentationem familiæ indigent, von ihren Zuwachs / oder was sie zu ihrer Küche bedürffen. Köppen *decis. 50. n. 34. Us. mod. hic §. 10.*

TIT. V.

De donationibus.

SUMMARIA.

An valeat remissio debiti absque acceptatione? An insinuatio donationis sit voluntariæ jurisdictionis? Quænam donationes insinuatione indigeant? Quando revocari possit donatio inofficiosa. An ob supervenientiam liberorum? An & ob paupertatem? An revocationi ex causa ingratitudinis renunciari possit? Rarus usus donationum & doctrinæ de revocatione. Differentia juris Germanici a Romano circa donationes tam immobilium quam mobilium. Inconveniens applicatio doctrinæ de insinuatione donationum ultra 500 solidos; Quæ ostenditur tum ex indole populi & juris Romani a Germanico diversa, tum ex raritate ejusmodi donationum. Eadem ratio donationis omnium bonorum. An repetitio doctrinæ de insinuatione in constitutionibus principum & systematibus probet ejus usum practicum? Mutatio juris patrii per hanc repetitionem. Donatio geradæ. An hodie valeat donatio inter patrem & filium?

An valeat remissio debiti absque acceptatione?

CUm in omni donatione ex parte donatarii requiratur acceptatio; hinc omni fundamento destituitur sententia, quod remissio debiti etiam sine acceptatione valeat, neque illa probatur per *l. 23. & 53. de solution.*

An insinuatio donatio-

Petit etiam principium assertio communis, quod insinuatio donationis sit actus voluntariæ jurisdictionis, atque

atque adeo illa coram quocunque judice fieri possit, vid. *Uſ. mod. hic* §. 5. Imo hæc ſententia repugnat iis, quæ Dd. addunt de officio judicis ante confirmationem donationis inſinuatæ, quod ſcilicet, & ad perſonam dantis & donatarii reſpicere debeat, utrum hic honeſtæ vitæ ſit, ille vero neceſſaria vivendi ſubſidia retineat; Hoc enim officium non alius quam competens judex exercere poteſt. Unde etiamſi ex errore alicubi hodie diſpoſitio juris Romani de inſinuandis donationibus ſit recepta, ut mox videbimus, tamen ex eo nihil poterit inferri adverſus doctrinam ſupra *ad tit. de jurisdictione* inculcatam, quod moribus Germaniæ voluntaria jurisdictio non ſit in uſu. *nis ſit voluntariæ jurisdictionis?*

Quænam donationes inſinuatione indigeant? Variationes juris Romani de inſinuandis donationibus vide apud Schilterum *Exerc. XLIII.* §. 5. *ſeq.* & ſummatim apud D. Beyerum *hic ab init.* Ipſe Juſtinianus primo eam fieri voluit, ſi donatio excederet trecentos aureos, poſtea eam ſummam ad quingentos extendit. An & remuneratoria & reciproca indigeat inſinuatione, tractat Schilterus §. 12. 13.

Quando revocari poſſit donatio inofficioſa? Communem & erroneam doctorum opinionem inofficioſæ donationis oſtendi in diſputatione *de legitima viventis c. 2. & 3.* ubi ſimul dixi, fundamentum inofficioſæ donationis eſſe donationem in fraudem querelæ inofficioſi teſtamenti factam, adeoque revocationem non eſſe permiſſam, ſi fraus deſit, & ſi ſolo eventu liberi in legitima læſi ſint; porro revocationem non dari ipſi donatori, ſed liberis, & quidem poſt mortem patris; querelam inofficioſæ donationis competere non tantum pro quantitate legitimæ, ſed ad reſcindendam donationem integram. Conf. D. Beyer *hic poſit. 13. 14.*

An ob supervenientiam liberorum? An ob paupertatem? An revocationi ex causa ingratitudinis renunciari possit?

Quæ doctores tradunt de revocandis donationibus ob supervenientiam liberorum, veniunt ex errore interpretationis usualis, D. Beyer *posit. 11. 12.* De revocatione ob paupertatem vid. Schilter. *Exerc. XLIII. §. 23.*

Revocationi ex causa ingratitudinis non posse renunciari, neque simpliciter, neque per juramentum, ex ea ratione putant Dd. quia ejusmodi renunciatio invitaret ad delinquendum. Verum putarem potius, *l. fin. C. de revoc. don.* simpliciter etiam absque juramento renunciare licere, quia tota hæc actio vindictam spirat, & non possum videre, quomodo dici possit, quod renunciatio actionis ad delinquendum invitet, inprimis, cum salva maneat donanti actio injuriarum, & judici jus puniendi. Conf. Schöpfer *hic n. ult.*

Rarus usus donationum & doctrinæ de revocatione.

De USU forensi hujus tituli repete dicta in *Notis ad Institutiones ad §. 2. de donat. p. 163. seq.* Ante omnia supponendum: rarissima hodie esse exempla donationum inter vivos magni momenti, unde non poterit non esse exiguus usus practicus doctrinæ hujus tituli, etiamsi usu receptus esset. Hinc rarissime occurrunt quæstiones de revocandis donationibus ob supervenientiam liberorum & ingratitudinem.

Differentia juris Germanici a Rom. circa donationes tam immobilium, quam mobilium.

Quatenus autem donationes Germanis olim fuere receptæ vel adhuc hodienum usurpantur, valde differunt principia juris Germanici a fundamentis juris Romani. Jure Germanico distinguebatur olim inter bona mobilia & immobilia. Immobilia donari non poterant sine heredum consensu & extra judicium. Jus Provinc. Saxon. *lib. 1. art. 52.* Mobilia vero quæcunque donari poterant, quamdiu quis nobilis equum ascendere, aut plebejus mansum arare, aut fœmina in tem-

templum ab ædibus ejus notabili ſpatio diſtans ire poterant; *ibid. & Gloſſa ibi Germanica.* Quod ſi ob ſenectutem quis ea facere non poſſet, neque mobilia ſine heredum conſenſu donare poterat *arg. d. art. 52.* Eadem eſt ratio ægrotantis, *ibid.* Quod gloſſa addit, & hæc licere donare, **wenn er die Sachen über das Bett reichen möge /** absque fundamento dicitur. Atque huc trahunt etiam *l. 4. §. 1. de dol. mal. & met. except.* ut Schöpfer. *ad illum tit. n. 1.* ſed perperam. Ratio decidendi ibi eſt, quod donationes inter virum & uxorem ſint prohibitæ.

Unde demonſtratur, quod ad principia juris Germanici non quadret diſpoſitio juris Romani de inſinuatione donationis quingentos ſolidos excedentis. Nam ſi immobilia ſint, nec donatio valet, etiamſi res ſint minoris pretii. Si mobilia, etiam donatio majoris quantitatis valet, ſi modo donans ſit ſanus & vegetus *dict. art. 52. verb.* **alle fahrende Hab.** *Inconveniens applicatio doctrinæ de inſinuatione donationum ultra 500. ſolidos.*

Adde, quod inſinuatio donationum a Romanis ideo ſit inventa, ut rigor juris veteris corrigeretur. Nam pactum nudum donationis olim non producebat actionem, neque donatio per epiſtolam declarata vim ſtipulationis habebat. Poſtea vero cum jure novo ad donationis efficaciam non amplius requireretur ſtipulatio, ſed ſufficeret voluntas quomodocunque declarata, opera ſimul danda erat, ut falſa & fraudes evitarentur in donationibus potiſſimum majoris momenti, inprimis cum Græci & Itali ad alios decipiendos valde proni fuerint. At Germani ſemper olim ob firmitatem & tenacitatem fidei laudati fuere, apud quos adeo promiſſiones quocunque modo declaratæ perpe- *Quæ oſtenditur tum ex indole populi & juris Rom. a Germ. diverſa;*

tuo valuerunt, ita ut cautione a fraudulentia ei, cui aliquid promittitur, non fuerit opus. Ut taceam, insinuationes apud Romanos in donatione pecuniæ tum demum fuisse utiles, si nummi donati non statim traderentur, aut donatarius eam summam jam apud se nondum haberet. Unde non opus insinuatione erat, si debitum quingentos solidos excedens acceptilatione tolleretur.

Tum ex raritate ejusmodi donationum.

Tales vero donationes rerum mobilium aut pecuniæ inter vivos raro apud Germanos occurrunt. Nescio an apud Romanos frequentius usurpatæ fuerint. Nam nisi me omnia fallunt, videntur apud Romanos ejusmodi casus potissimum obtinuisse in donationibus mortis causa, antequam eæ a Justiniano exæquarentur legatis.

Eadem ratio donationis omnium bonorum.

Rarissime etiam apud Germanos occurrunt donationes omnium bonorum, ut adeo dispicere non sit opus, an in Germania usum habeant, quæ jus Romanum de his disposuit. Imo pariter inquirendum esset, annon apud Romanos etiam donationes omnium bonorum saltim mortis causa factæ fuerint.

An repetitio doctrinæ de insinuatione in constitutionibus principu & systematibus probet ejus usum practicum?

Interim doctores pragmatici ex amore juris Justinianei doctrinam de donationum insinuatione tanquam maxime practicam non solum solent commendare in systematibus, sed & principibus persuaserunt, ut eam inseruerint constitutionibus suis. *Constit. Saxon. 12. Part. 2. & ibi* Carpzovius. Sed tamen efficere non potuerunt, ut casus ipsi circa donationes rerum, potissimum mobilium in ipsis rerum argumentis frequenter occurrant, ob dictas rationes.

Mutatio ju-

Id tamen effecerunt, ut apud Germanos hodie, etiam

etiam ab ægrotis æque ac a ſanis donari poſſit, adeoque mores prudentes patrii hac parte ſint abrogati, quia videlicet non conſiſtere poterant cum recepta teſtamentifactione & intereſſe Cleri Pontificii ægrotantibus maxime per metum purgatorii incuſſum plurimas donationes excutientis. Conf. Schilter. *Exerc. XLIII.* §. *15. ſeq.*

ris patrii per hanc repetitionem.

Idem Schilterus §. *14.* recte monet, in Saxonia etiam invitis principiis juris patrii eſſe introductum ab interpretibus, ut gerada donari poſſit.

Donatio geradæ.

Interim quæ leges Romanæ de prohibita donatione inter patrem & filium tradunt, fluunt ex jure patriæ poteſtatis Romanæ, quia ibi pater & filius habebantur pro una perſona. Quia vero ſupra notavimus, Germanos ignorare patriam poteſtatem juris Romani, inde etiam jus noſtrum in hac concluſione a jure Romano diſcrepat, quod ſcilicet pater filio mobilia donare poſſit, & filius majorennis patri. Carpzovius *d. l. defin. 22.* & *l. 6. Reſp. 118. n. 14. ſeq.*

An hodie valeat donatio inter patrem & filium?

TIT. VI.

De mortis cauſa donationibus & capionibus.

SUMMARIA.

Differentia legati & mortis cauſa donationis. An hæc per renunciationem revocationis degeneret in donationem inter vivos? An mortis cauſa donationes in uſu?

Etſi in *l. 15.* & *l. 37. pr. h. t.* dicatur, mortis cauſa donationes ad exemplum legatorum revocatas eſſe, variæ tamen adhuc inter utrumque negotium

tium intercedunt differentiæ, quas summatim vide apud D. Beyerum *h. t. posit. 2. seq.*

An hæc per renunciationem revocationis degeneret in donat. inter vivos?

Donationem mortis causa degenerare in donationem inter vivos, si quid ita donatur, ut nullo casu revocetur, ait Marcianus in *l. 27. h.* verum manet & hoc casu mortis causa donatio intuitu transmissionis, nam & hic donatarius supervivere debet donatorem. D. Beyer. §. *5. seq.*

An m. c. donationes in usu?

De USU mortis causa donationum dixi jam in *Not. ad* §. *1. Inst. de donat.* quod scilicet post receptum jus Justinianeum quoad testamenta, & hæ simul receptæ sint.

LIB. XL.

Cautelæ in quæstione de usu hujus libri.

CAvenda hic sunt duo extrema, (1) ne committamus confusionem usus theoretici cum practico & ex nimio amore juris Romani defendamus cum paucissimis usum juris Romani hodiernum in doctrina de manumissionibus, quibus satisfacit D. Beyer *hic.* (2) ne in fatendo non usu practico demus falsam asserti causam, quasi scilicet apud Germanos omnis servitus sit sublata, cujus contrarium docuimus *ad Institutiones.* Ergo quoad USUM hujus libri repetenda, quæ latius notavimus *ad Instit. lib. 1. tit. 3. usque ad 8.*

LIB. XLI.

TIT. I.

De acquirendo rerum dominio.

De usu tituli remissive.

CUm & de hujus tituli USU forensi fuse actum sit in *Notis ad Lib. 2. tit. 1. Instit. de R. D. & A. E. D.* non

non opus eſt, ut quicquam hic adjiciamus. Confer interim Schilterum *Exerc. XLV.*

TIT. II.
De acquirenda vel amittenda poſſeſſione.
SUMMARIA.

An hic tit. in uſu? Cauſa diſſenſionum circa hunc titulum. Explicatio doctrinæ de poſſeſſione naturali & civili.

Titulus hic cum contineat doctrinas ex ipſa natura poſſeſſionis profluentes, inde non poteſt non eſſe in USU. Interim cauſa duplex eſt, quod interpretes ad hunc titulum miris modis ſibi contradicant, (1) quod magis verba legum Romanarum conſideraverint, quam naturam poſſeſſionis & jus gentium, quorſum tamen reſpexerunt plerumque, ſi non ſemper, JCti Romani, (2) quod non conſideraverint, leges Pandectarum collectas eſſe ex variis JCtis, ſæpe eosdem terminos in diverſis plane & ſæpe oppoſitis ſignificationibus uſurpantibus. Quod maxime factum eſt in diviſione poſſeſſionis in naturalem & civilem. Hoc vero pacto non potuerunt non ſudare in conciliandis textibus, in quibus tamen nulla eſſet contradictio, ſi varietas illa ſignificationis attenderetur. *An hic tit. in uſu? Cauſa diſſenſionum circa hunc tit.*

Obſervandum itaque, quatuor modis ſupponi terminos poſſeſſionis naturalis & civilis. (1) *Naturalis* poſſeſſio vocatur nuda detentio rei phyſica, absque animo ſibi habendi, *civilis* vero ſeu juridica poſſeſſio ſtricte dicta nudæ detentioni oppoſita, conjuncta cum animo ſibi habendi. Atque hæc poſterior (2) dicitur *Explicatio doctrinæ de poſſeſſione naturali & civili.*

vel *naturalis*, m. f. possessoris, id est, absque opinione dominii, vel *civilis*, domini vel b. f. possessoris conjuncta cum opinione dominii. Quodsi omnes has quatuor species considerem ratione conservandæ possessionis, vocatur (3) possessio *naturalis*, si quis actualiter rem detineat corporaliter, *civilis*, si quis actu rem non teneat, sed animo possideat. Denique, quoniam possessio est modus, a quo incipiunt, & per quem conservantur jura in re, hæc vero non uno eodemque modo res incorporales afficiunt, hinc dicitur (4) possessio *naturalis* illius rei, in qua prætendo vel habeo jus in re dominio ignobilius, v. g. servitutis, pignoris; *civilis* autem, cum quis possidet animo dominii, quæ significatio ultima est quidem affinis primæ, sed tamen cum ea non confundenda.

TIT. III.
De usurpationibus & usucapionibus.

SUMMARIA.

Historia & differentia usucapionis & præscriptionis. Cur in praxi obtineat perpetuitas bonæ fidei ex jure canonico? An ea recte extendatur ad præscriptionem actionum personalium? An præscriptio actionum personalium tricenaria sit juris gentium? An præscriptio viginti annorum pertineat ad absentiam extraordinariam? An regalia a subditis præscribi possint? De usu tituli remissive. An titulus pro herede sit peculiaris titulus usucapionis?

Historia & differentia

Historiam juris de usucapionibus & præscriptionibus sæpe mutati vide ap. illustrem Coccejum in

in disputatione *de præscript. extraordin.* Adde Schilterum *Exerc. XLV.* §. 48. & summatim ex Rævardo apud D. Beyerum *ad h.t. ab initio*, ubi & differentias hodiernas inter usucapionem & præscriptionem annectit. *usucapionis & præscriptionis.*

Jus canonicum bonam fidem in præscriptione perpetuo requirens fuit per seculum ante jus Justinianeum in Germania receptum. Unde non mirum, id in praxi servari præ jure civili. Cæterum alibi locus erit ostendendi, æquitatem, quæ in disputatione juris canonici vulgo subesse creditur, forte tantam non esse. Adde D. Coccej. in disputatione prima *de finibus bonæ fidei in præscriptionibus juris canonici.* Conf. Schilter. *Exexerc. XLV.* §. 57. *Cur in praxi obtineat perpetuitas b. f. ex jure canonico?*

Quod vero doctores aliqui dispositionem hanc juris Canonici extenderint etiam ad præscriptionem actionum personalium, id nec rationi nec intentioni juris canonici convenire, latius probavit D. Coccejus in utraque disputatione *de finibus b. f. &c.* Adde Schilterum §. 48. *in fine.* *An ea recte extendatur ad præscriptionem actionum personalium?*

Alia quæstio est, an præscriptio tricenaria actionum personalium fluat ex jure gentium, & locum habeat inter principes imperii, quod negavi, & latius probavi in dissertatione *de perpetuitate debitorum pecuniariorum.* *An præscriptio tricenaria act. pers. sit juris gentium?*

Circa præscriptionem viginti annorum, quæ inter absentes obtinet, videtur in *Nov. 119. cap. 8.* Justinianus aperte confudisse absentiam ordinariam, ad quam hæc præscriptio pertinet, cum extraordinaria, de qua agitur in titulo *ex quibus causis majores.* Nihilominus interpretes dispositionem hujus Novellæ in *An præscriptio 20. annorum pertineat ad absentiam extraordinariam?*

 com-

computatione annorum absentiæ in præscriptione bona fide repetunt vid. B. Hopp. *in Comm. ad pr. Instit. h. t. ad verba: inter præsentes.*

An regalia à subditis præscribi possint? Quod regalia à subditis ne quidem immemoriali tempore possint præscribi, ostendi *peculiari disputatione: de præscriptione regalium ad jura subditorum non pertinente.*

De usu tituli remissive. De USU practico hujus tituli repetenda simul sunt, quæ dixi in *Notis ad Inst. h. t. p. 159. seq.*

An tit. pro herede sit peculiaris titulus usucapionis? In sequentibus titulis recensentur varii tituli usucapionis, v. g. pro soluto, pro emtore, pro herede &c. Verum quod titulum *pro herede* attinet, etsi hic in Pandectis & Codice reperiatur, distincte tamen probavi in *novis scholiis ad Huberum: pro herede*, hunc titulum nunquam esse novum, sed saltem prioris continuationem.

LIB. XLII.

TIT. I.

De re judicata, & de effectu sententiarum & de interlocutionibus.

SUMMARIA.

An usus tituli? An in collegiis juridicis jurare debeat is, qui sententiam suam suspendit? Quid obtineat, si vota sint paria? Quomodo hodie fiat publicatio sententiæ? An sit casus dabilis sententiæ contra jus in thesi prolatæ? An usus actionis judicati?

An usus tituli? CUm singulæ fere provinciæ in ordinationibus processualibus doceant, quid intuitu hujus tituli in

in USU sit, hinc ad eas potius quam ad hunc titulum ablegandi sunt studiosi juris.

An in collegiis juridicis jurare debeat is, qui sententiam suam suspendit?

Hodie pleræque sententiæ feruntur a collegiis juridicis, ad quæ acta transmittuntur. Unde patet, quod *l. 36. ff. h. t.* non habeat usum in foro, quod scilicet judex præsens, si sententiam non dicere velit, jurare debeat, sibi non liquere. In collegiis enim juridicis juramento non est opus, sed poterit quis simpliciter sententiam suam suspendere.

Quid obtineat, si vota sint paria?

Si paria judicum vota sunt, disputant Dd. quænam sententia sit anteferenda? Pro reo, item pro minore summa plerique dicunt esse pronunciandum, vid. *Us. mod. §. 12. hic*, sed moribus in plerisque collegiis tum director habet votum decisivum. Martini in *Comm. ad tit. 34. ord. Jud. Saxon. n. 19.*

Quomodo hodie fiat publicatio sententiæ?

Neque etiam obtinent, quæ jus Romanum de sententia ab ipso judice & quidem sedente non stante prælegenda disposuit, sed MORIBUS vel prælegere eam solet actuarius judicii sive Secretarius, vel etiam in scriptis sententia communicatur partibus declarantibus, quod sententiam pro publicata haberi velint.

An sit casus dabilis sententiæ contra jus in thesi prolatæ?

Inter exceptiones, ob quas sententia non transit in rem judicatam, est etiam illa, si contra jus in thesi prolata; *Us. mod. §. 14. in fine.* Sudant tamen Dd. in inveniendo genuino casu huc pertinente, qui etiam sit dabilis. Sic memini, aliquando L. fuisse latam sententiam, quod maritus patri defunctæ uxoris deberet restituere quartam legitimam, a qua sententia neutra pars appellaverat. Sed postea tamen sententia ex officio corrigebatur, & loco quartæ ponebatur tertia.

An usus actionis judicati?

Actionem rei judicatæ juris Romani, quam re-

gulariter adhibuit ante executionem, forum Germanicum ignorare docet Schilterus *Exerc. XLVI. §. 2. seq.* ubi ostendit convenientias & disconvenientias actionis judicati & executionis Germanicæ. Putarem tamen, adhuc hodie actione judicati opus esse, si sententia v.g. lata sit in foro contractus a judice, a quo judex domicilii, ubi executio fieri debet, non dependet, vel non est sub eodem judice superiore cum judice sententiam ferente, v.g. si sententia lata sit Hamburgi, & executio debeat fieri Halæ.

TIT. II.

De confessis.

SUMMARIA.

An confessio extrajudicialis faciat probationem plenam? An usus distinctionis inter confessionem in jure & in judicio factam?

An confessio extrajudicialis faciat probationem plenam?

QUamvis in *l. 1. ff. h. t.* simpliciter dicatur, quod confessus pro judicato sit, & quodammodo sua sententia damnetur & Dd. inde concludant, eandem rationem esse confessionis tam extrajudicialis quam judicialis; ostendit tamen *l. un. C. hic.* saltem sermonem esse de confessione *in jure* facta, & quicquid etiam sit de legibus Justinianeis, putarem tamen ex natura rei, quod extrajudicialis faciat saltem indicium, non probationem plenam.

An usus distinctionis inter confessionem in jure

Porro Dd. distinctionem inter confessionem in jure & judicio factam ejusque diversum effectum applicant ad confessionem vel ante vel post litis contestationem factam; sed vide, quæ hic notavit D. Beyer

ad

ad h.t. & dicta in *Uſ. mod. hic* §. *3. circa finem*, ſcilicet quod hodie utroque caſu judicis decreto opus ſit. *& in judicio factam?*

TIT. III.
De ceſſione bonorum.

SUMMARIA.

Hiſtoria beneficii ceſſionis bonorum. Ejus & beneficii competentiæ rarus uſus. Frequentia reſcriptorum moratoriorum.

ANtiquitates Romanorum & Germanorum ut & jus Juſtinianeum cum moribus hodiernis erudite hic comparat D. Beyer. *p.522. ſeq.* Conf. Schilterus *Exerc. XLVI. th. 8. ſeq.* it. Potgieſer *de conditione ſervorum lib. 1. cap. 3.* §. *53. ſeq.* *Hiſtoria beneficii ceſſionis bonorum.*

Interim experientia docet, ceſſionem hanc bonorum, (ut etiam ipſam doctrinam de beneficio competentiæ) rariſſime in foro comparere. Rationem pete ex iis, quæ habet D. Beyer. *d. l. p.524. verſic. ſolet vero hodie &c.* *Ejus & benef. compet. rarus uſus.*

Cur vero apud nos ita facile debitores ſibi fuga vel reſcriptis moratoriis conſulere poſſint, facit irregularis reipublicæ Germanicæ ſtatus, ac æmulatio Statuum imperii, cum facillime poſſit quis in aliud territorium aufugere, & nummis inique acquiſitis patronum quærere. *Frequentia reſcriptor. moratoriorum.*

TIT. IV.
Quibus ex cauſis in poſſeſſionem eatur.

MORIBUS Germaniæ miſſio ex primo & ſecundo decreto ob contumaciam rei non eſt rece- *An miſſio ex primo & ſe-*

pta,

cundo decreto in usu? pta, sed alius procedendi modus est in usu, quem exponit D. Beyer. *ad h. t.* Simulacrum tamen ejus est in executione & immissione hodierna post rem judicatam. Ut adeo quæstio, an missio primi & secundi decreti fundetur in jure Justinianeo, sit otiosa, de qua tamen non sine ratione dubitant accuratiores JCti.

TIT. V.

De rebus autoritate judicis possidendis, seu vendundis & de privilegiis creditorum.

Unde petenda doctrina de privilegiis creditorum?

QUoad USUM doctrinæ de privilegiis creditorum, potissimum notanda differentia juris communis & Saxonici, tum & inspiciendæ sunt singularum provinciarum ordinationes processuales, cum nulla fere sit provincia hodie in imperio, quæ non quoad hoc caput circa dissensum JCtorum in quæstionibus occurrentibus peculiare quid disposuerit.

TIT. VI.

De separationibus.

An post separationem detur regressus ad bona heredis?

QUemadmodum beneficium separationis datur creditoribus defuncti debitoris, eum in finem, ut ex hujus tantum bonis solutionem accipiant, nec cum creditoribus heredis itidem obærati conjungantur, ita postulata separatione, si bona prioris debitoris non sufficiant, non datur regressus ad bona heredis, nisi ex capite justissimæ ignorantiæ *l. 1. §. 17. h. t.* Unde cautela Brunnemanni de protestatione est frustranea. Schilter. *Exerc. XLVI. §. 43.*

TIT. VII.

TIT. VII.

De curatore bonis dando.

QUamvis curator bonorum proprie detur ad curanda œconomica debitoris, eique contradistinctus sit contradictor, qui judicialia curat, in praxi tamen plerumque curatori bonorum utrumque committitur. Contradictor etiam vocari solet curator litis, qui non confundendus est cum fœminarum curatore ad litem. Conf. Schilterum *Exerc. XLVI. §. 50.* *In quo consistat officium curatoris bonor. & contradictoris?*

TIT. IIX.

Quæ in fraudem creditorum facta sunt, ut restituantur.

SUMMARIA.

An actione Pauliana revocentur etiam alienata ante immissionem? Unde probetur dolus possessoris?

ACtione Pauliana, quæ creditoribus ex hoc titulo competit, revocantur bona alienata tam ante, quam post missionem, & in eo differt ab actione hypothecaria. Dissentit D. Beyer. *pos. 4. hic*, propter *l. 6. §. 7. h. t.* quæ loquitur de creditoribus fraudis non consciis. Vide *Notas ad Strauchium Exerc. XXII. th. 3. p. 295.* & *ad Huber. Inst. de action. posit. 28.* Confer Schilter. *Exerc. XLVI. §. 51.* *An actione Pauliana revocentur etiam alienata ante immissionẽ?*

Quemadmodum autem intuitu alienantis fraus non præsumitur sed probanda, ita eadem multo magis probanda est intuitu novi possessoris, titulo oneroso rem accipientis. Non tamen hujus dolus inde probatur, quod sciverit, debitorem adhuc alios creditores habere, D. Beyer. *hic posit. 7.* Si tamen sciverit, *Unde probetur dolus possessoris?*

eum non amplius esse solvendo, tunc censetur fraudis fuisse particeps.

LIB. XLIII.

TIT. I.

De interdictis.

SUMMARIA.

Unde usus interdictorum addiscendus? Differentia petitorii & possessorii. Origo processus inhibitorii & mandatorum. An usus distinctionis possessorii in ordinarium & summariissimum?

Unde usus interdictorum addiscendus?

DE interdictis quoad principia juris Romani & usum hodiernum varia monet hic D. Beyer. *ab initio & post posit. ult.* Confer Schilter. *Exerc. XLVII. §. 5. seq.* Quoad USUM fori Germanici utilius est consuluisse commentatores in Ordinationes processuum.

Differentia petitorii & possessorii. *Origo processus inhibitorii & mandatorum.*

Id certum est, petitorium & possessorium processum maxime differre. At processus inhibitorius in Saxonia, item mandata cum vel sine clausula in Camera recepta melius deducuntur ex jure Germanico, quam Romano.

An usus distinctionis possessorii in ordinarium & summariissimum?

Distinctio possessorii in summariissimum & ordinarium, etsi omnes pragmatici ea utantur, non magnum tamen habet usum, quia ordinarium rarissime instituitur, D. Beyer *d. l. p. 543.* Et diuturnitas processus nostri tanta est, ut non sint rara possessoria summariissima centum annorum, inprimis in Camera.

TIT.

TIT. II.

Quorum bonorum.

ETsi hujus interdicti USUS forensis communiter asseratur, vid. *Us. mod.* §. *1. h.* qui & consentientem adducit Schilterum; ostendit tamen D. Beyerus *hic*, secundum principia juris Romani interdicta adipiscendæ possessionis ratione processus a judiciis petitoriis parum differre, nisi quis ex hypothesi juris Germanici de possessione ipso jure in heredes transeunte illud referre velit inter interdicta retinendæ possessionis. *An usus hujus interdicti?*

TIT. III.

Quod legatorum.

HODIE interdicti hujus usum vel nullum esse, ob possessionem ipso jure in heredes transeuntem, vel certe rarissimum esse, ob requisita juris Romani non facile in eodem casu concurrentia, succincte docet D. Beyer. *hic.* *An tit. usus?*

TIT. IV.

Ne vis fiat ei, qui in possessionem missus erit.

NEc hujus interdicti USUM hodie esse demonstrat D. Beyer *hic*, & fatetur etiam *Us. mod. h. t.* §. *2.* dum hodie plerumque mandata pœnalia decerni, eumque, qui vim passus est, manu militari adjuvari dicit. *An tit. usus?*

TIT. V.

De tabulis exhibendis.

HUjus interdicti usus non est nullus, sed rarior tamen. D. Beyer *hic.* *An tit. usus?*

TIT. VI. -- XV.

Ne quid in loco ſacro fiat &c. &c.

Cur horum titulor. nullus uſus?

NOn habent *tit. VI. & ſequentes* magnum USUM in Germania, partim quod non habeamus ullas actiones populares, partim quod pleraque, de quibus agunt illi tituli, pertineant ad curam magiſtratuum, non privatorum. Quod ſi privati hic intereſſe habeant, poſſunt commode eorum querelæ ex reliquis interdictis deduci, ut recte Lauterbachium contra querelas Pagenſtecheri defendit D. Beyer *p. 548.* Porro negotia, de quibus agunt hæc interdicta, magis deducenda ſunt ex jure gentium & principiis politicis; quam ex jure Romano, & pertinent fere ad jus publicum. Quamvis nec deſint etiam principia juris Germanici peculiaria, de quibus egit Schilterus *Exerc. XLVII. ad hos titulos paſſim.* Quod notandum potiſſimum ob ea, quæ Schöpferus docet *hic n. 7. 12. 15 & 17.*

TIT. XVI.

De vi & vi armata.

SUMMARIA.

Cur hujus interdicti nullus uſus? An amittat dominium, qui res proprias privata autoritate occupat?

Cur hujus interdicti nullus uſus?

CUm remedia juris canonici ſint haud dubie pinguiora interdicto *unde vi*, quod ea contra quemvis poſſeſſorem rei ſive immobilis ſive mobilis alterum violenter dejicientem adhiberi poſſint, per tradita *in Uſ. mod. hic §. 1.* & jus canonicum per ſeculum receptum ſit in foris Germaniæ ante jus Romanum, patet, nullam ſubeſſe rationem, ut Germania poſtea

postea reciperet usum hujus tituli in foro. Conf. disputat. nostr. de *usu action. pœnal. c. 3. §. 40.*

Unde verius est etiam, usum remedii ex *l. 13. ff. quod met. causa*, quod ille, qui res proprias invito possessore occupat, dominium earum amittat, non esse receptum, nisi ubi receptio probetur, quia jam antiquitus jure Germanico in tales pœna arbitraria est statuta. Vide Noric. *ad Vinn. Inst. de vi bonor. raptor. §. 1.* *An amittat dominium, qui res proprias privata autoritate occupat?*

TIT. XVII.

Uti possidetis.

SUMMARIA.

An in hoc interdicto attendantur vitia possessionis?
An etiam in summariissimo possessorio qualitas possessionis probanda?

ETsi per *l. 1. pr. h. t.* necesse sit, ut actor, qui hoc interdicto uti vult, nec vi, nec clam, nec precario possideat, ostendunt tamen ipsa verba Prætoris: *alter ab altero possidetis*; id tantum attendi, an actor possessionem vitiose ab adversario suo acceperit, nam id non nocet; si ab alio vi vel clam vel precario possideat, *l. ult. de A. & A. P.* *An in hoc interdicto attendantur vitia possessionis?*

Quemadmodum vero MORIBUS possessorium retinendæ possessionis vel ordinarium vel summarium est, ita communiter asserunt, qualitatem possessionis, quod scilicet actor eam nec vi nec clam nec precario acquisiverit, probandam esse saltem in ordinario possessorio, non vero in summariissimo. Sed limitationem patitur assertio ratione summariissimi, in quo etiam ista probatio admittitur, si in continenti fieri pos- *An etiam in summariissimo possessorio qualitas possessionis probanda?*

ſit, atque tunc etiam admittuntur probationes per teſtes coram Notario examinatos. Unde ſimul patet, differentiam quæ inter poſſeſſorium ordinarium & ſummariiſſimum intercedit, non tam in neceſſitate probandi qualitatem poſſeſſionis, quam præcipue in controverſia de antiquiore poſſeſſione conſiſtere.

TIT. XIIX.
De ſuperficiebus.

SUMMARIA.

Superficies quid? An hujus interdicti & juris ſuperficiarii uſus? Cur non amittatur ſuperficies ob non ſolutum ſolarium?

Superficies quid?

QUod emphytheuſis in prædiis ruſticis, id ſuperficies eſt in prædiis urbanis.

An hujus interdicti & juris ſuperficiarii uſus?

Quid opus fuerit hoc interdicto apud Romanos, docet, D. Beyerus *hic.* Unde apparebit, ejus nullum hodie eſſe USUM practicum apud nos, tanquam ſeparati interdicti a præcedente. Neque ipſius juris ſuperficiarii in prædiis urbanis apud nos tam frequens uſus eſt, non tamen plane nullus. Exemplum ejus eſt Lipſiæ in Collegio majori princip.

Cur non amittatur ſuperficies ob non ſolutum ſolarium?

Quod vero domini ſuperficiei non amittant ſuperficiem ob ceſſationem ſolutionis ſolarii, (quamvis diſſentiat Struvius in *Jurispr. forenſ.* vid. D. Beyer. *d. l.*) hoc maxime convenit cum moribus Germaniæ, utpote ſecundum quos nec ruſticis auferuntur bona cenſitica, ob ceſſationem ſolutionis canonis vel cenſus. Vide *Not. ad tit. ſi ager vectigalis.*

TIT.

TIT. XIX--XXIII.

De itinere actuque privato &c. &c.

POterat unicum interdictum sufficere ad tuendam possessionem rerum quarumvis corporalium & incorporalium, immobilium & mobilium; uti etiam juris studioso de praxi sollicito id nosse sufficit. Sed cum apud Romanos hæc res pedetentim diversis interdictis & per diversos etiam Prætores processerit, & secundum hæc edicta formulæ denominarentur, hinc olim opus erat, illa diversa nomina nosse. Tempore Justiniani amplius opus non erat, formulis diu sublatis. Sed maluit Justinianus non corrigenda, aut etiam jam correcta per Novellas suas & alias constitutiones corrigere, quam ea, quæ emendationem desiderabant. Confer. Schilter. *Exerc. XLVII.* §. *63. seq.* D. Beyer. *ad tit. Uti possidetis* §. *7. seqq.* & *ad tit. de Interdictis in fine.*

An opus his specialibus interdictis retinendæ possessionis?

TIT. XXIV. XXV.

Quod vi aut clam. De remissionibus.

DE USU horum titulorum vide jam supra notata *ad tit. de novi operis nunciatione*, cujus hi duo tituli sunt quasi appendices. Confer. Schilter. *Exerc. XLVII.* §. *69. seq.*

De usu tit. remissive.

TIT. XXVI.

De precario.

SUMMARIA.

Quæ culpa præstetur in precario apud Romanos?

Quæ

Quæ apud Germanos? Cur hujus tituli nullus usus? Precaria quid?

Quæ culpa præstetur in precario ap. Romanos?

ORiginem hujus interdicti subtilitatibus juris Romani deberi, docet D. Beyerus *hic post posit. ult.* & illustris Coccejus in *Collationibus cum Struvio*, ubi simul docent, cur in precario jure Romano præstetur solum culpa lata.

Quæ ap. Germanos?

MORIBUS Germaniæ cum supra *ad tit. Commodati* ostenderimus, in omnibus contractibus unam culpam præstari, præstabitur etiam eadem in precario.

Cur hujus tit. nullus usus?

Porro quia autores a Schöpfero *hic n. 4.* citati fatentur, hodie precarium, cui certum tempus adjectum, non posse repeti ante tempus illud, in quo & consentit *Us. mod.* §. *2. h. t.* conf. disput. nostr. *de natura prec. juridic.* §. *21. seq.*; satis demonstratum est, moribus Germaniæ commodatum & precarium plane non differre, adeoque nullum esse USUM practicum hujus tituli. Adde disput. nostram *de usu practico doctrinæ juris Romani de præstat. culp. in contractibus.*

Precaria quid?

Occasione hujus tituli mentionem injiciunt DD. precariæ, quæ in jure Canonico fundatur & nihil aliud est, quam contractus a Clero inventus ad decipiendos & deplumandos laicos sub spe lucri ab ecclesia captandi, aut sub falsa promissione ususfructus rerum propriarum Ecclesiæ datarum, sed ab hac pro lubitu revocandarum; de qua intentione & artibus Cleri fraudulentis dixi in disputatione *de natura precum juridicarum* §. *25. seq.*

TIT. XXVII.

De arboribus cædendis.

Jure

JUre communi Germanico, ante receptum jus civile, licuit jure dominii arbores vicini in aërem meum pendentes cædere, unde titulus hic nullum habet USUM. Confer Schilterum *Exerc. XLVII.* §. *75.* D. Beyer. *hic*, Schöpfer. *in fine h. t. Uſ. mod.* §. *2.* *Diſpoſitio juris Germ. quoad h. tit.*

TIT. XIIX.

De glande legenda.

EX dictis *ad tit. præced.* ſua ſponte fluit, nec hujus tituli USUM practicum apud Germanos eſſe. Conf. *Uſ. mod.* §. *1. hic.* *An tit. uſus?*

TIT. XXIX.

De homine libero exhibendo.

SUMMARIA.

An hujus interdicti uſus? || *Trottina?*
An probetur exemplo de Eva ||

LIberum hominem non debere detineri, ſed implorari poſſe judicem, ut liberetur, juris gentium eſt. At interdictum de libero homine exhibendo non habet USUM, partim, quia nullæ dantur actiones populares apud Germanos, partim quia interdicti caſus in territoriis noſtris vix dantur. Dn. Beyer. *hic.* *An hujus interdicti uſus?*

Exemplum apud Schilterum *Exerc. III. th. 23.* de inſtituto ab agnatis Evæ Trottinæ hoc interdicto adverſus Henricum Brunsvicenſem nihil probat. Nam 1) Eva Trottina non detinebatur invita; (conf. tamen *l. 3.* §. *5. h. t.*) 2) Actores erant cognati, non quivis ex populo; 3) Ipſi quidem ita nominarunt actionem inſtitutam, ſed quid obtinuerunt? 4) Non ſunt *An probetur exemplo de Eva Trottina?*

Tt de

de nihilo exceptiones Henrici recensitæ ab Hortledero *de causis belli Germ. lib. 4. c. 29.*

TIT. XXX.
De liberis exhibendis.
SUMMARIA.

An locus sit huic interdicto, si detentio fiat volente filio? An ejus usus?

An locus sit huic interdicto, si detentio fiat volente filio?

INterdictum hoc competit patri adversus eum, qui filium in patria potestate existentem detinet, & quidem invitum. Quid ergo si volentem detineat? Inutile esse interdictum, dicit *l. fin. h. t.* Sed intelligo, si quis patrem non impediat ducere filium. Aliud, si filium etiam volentem occultet; *arg. d. l. fin.* junct. *l. 3. §. 3. eod.*

An ejus usus?

MORIBUS nostris, quatenus æquitas subest, his casibus fit imploratio officii judicis.

TIT. XXXI.
De migrando.
SUMMARIA.

An hoc interdictum competat colono? An ejus usus ratione inquilini?

An hoc interdictum competat colono?

COlono non datur hoc interdictum, sed illi officio judicis celerrime subvenitur *l. 1. §. 1. & 2. h. t.*

An ejus usus ratione inquilini?

Ergo cum hodie non utamur formulis interdictorum, sed inquilini implorent celerrimam opem judicis, patet, nec interdicti de migrando, qua interdicti, hodie esse USUM practicum. Conf. D. Beyer. *hic.* Quod autem imploratio officii judicis sit modus antiquissi-

quissimus agendi in foro Teutonico, probat Schilterus *Exerc. XLVII. post thes. 78.*

TIT. XXXII.
De Salviano interdicto.

NOn solum nomen hujus interdicti esse inauditum, sed etiam ipsam rem in USU forensi cessare, docet D. Beyerus *hic*, Conf. dicta *ad tit. præced.* *An ejus usus?*

LIB. XLIV.
TIT. I.
De exceptionibus, præscriptionibus & præjudiciis.

SUMMARIA.

An exceptio involvat confessionem? An usus distinctionis inter exceptionem juris & facti? Cur exceptiones dilatoriæ hodie simul opponendæ? Jisque annectenda eventualis litis contestatio? It. cur exceptiones peremtoriæ simul opponendæ?

EXceptio est exclusio intentionis actoris per assertionem contrariam. Ista autem contraria assertio non involvit confessionem intentionis actoris, quia exceptiones opponuntur regulariter per modum conditionis, si actor fundamentum actionis suæ probaverit. Disputat quidem Schilterus *append. ad Exerc. XLVII. §. 6. seq.* contra hanc sententiam subtiliter, sed tamen fatetur, contrariam in praxi esse receptam. Nec desunt etiam, quæ pro sententia communi ipsius rationibus opponi possunt. *An exceptio involvat confessionem?*

An usus dist. inter except. juris & facti?

Distinctionem inter exceptiones juris & facti nec quadrare ad naturam processus Germanici, nec usu esse receptam, dixi *ad Institut. quib. mod. toll. oblig. in princ. p. 235.* Conf. Schilter. *in dict. appendice §. 12.* D. Beyer. *hic post posit. 4. & 14.*

Cur exceptiones dilatoriæ hodie simul opponendæ?

Ceterum uti in toto processu magis sequimur jus canonicum, quam Justinianeum, ita & in capite de exceptionibus. Sic cum alias exceptiones jure communi distincte proponi possint una post aliam, jure canonico per *cap. Pastoralis 4. X. h. t.* receptum, ut judex possit certum terminum præfigere, intra quem exceptiones dilatoriæ una vice proponi debeant, quod postea in Imperio generaliter receptum per *Ordin. Cameral. P. 3. tit. 24.* ut scilicet mox in primo termino reus teneatur omnes exceptiones dilatorias proponere, quod pariter probatum in *Recess. imp. de anno 1654. §. 38.* Conf. *Us. mod. hic §. 1.*

Iisque annectenda eventualis L. C? It. cur except. peremtoriæ simul opponendæ?

Id quoque MORIBUS originem debet, quod cum exceptionibus dilatoriis conjungatur eventualis litis contestatio; vid. *dict. Recess. imp. de a. 1654. §.* und hat der Beklagte. Conf. *Us. mod. §. 3.* Item, quod exceptiones etiam peremtoriæ in uno termino & simul sint opponendæ *Ord. Camer. P. 3. tit. 27. Recess. imp. noviss. §.* Es soll auch hinführo *&c.* vid. *Us. mod. §. 6.*

TIT. II.

De diversis temporalibus præscriptionibus, & de accessionibus possessionum.

SUMMARIA.

Infirma ratio de præscri- || ptione hereditatis petitionis.

Quanam

Quænam delicta quinquennio præscribantur? An in quibusdam delictis nulla currat præscriptio? De usu tituli remissive. Præscriptio adulterii Saxonica.

HEreditatis petitioni triginta annis præscribi certum est; Vacillat tamen ratio, quam communiter suppeditant, quod scilicet hereditatis petitio non pure realis sit, sed mixta propter præstationes personales concurrentes; Nam & rei vindicatio præstationes personales habet, æque ut rei vindicatio, & tamen minori temporis spatio ei præscribitur. *Infirma ratio de præscriptione hæredit. petitionis.*

Quoad accusationes criminales communis est sententia, quod illæ, quæ ex delictis carnis oriuntur, quinquennio elapso expirent regulariter, sed ostendi in dissertatione Lipsiensi *de præscriptione bigamiæ* §. 24. *seq.* non omnia delicta carnis, sed ea saltem, quæ lege Julia de adulteriis notarentur, jure Romano quinquennio præscribi, & eo ex errore a Dd. referri incestum etiam solum; & bigamiam etiam secundum principia juris Romani præscribi quinquennio. *Quænam delicta quinquennio præscribantur?*

Erronea quoque est opinio, quod in quibusdam delictis nulla plane currat præscriptio, quo referunt crimen suppositi partus, parricidii, læsæ majestatis &c; quem errorem ostendi in *dicta disputatione* §. 16. *seqq.* ac simul indicavi, neque istam sententiam, neque ejus extensionem a Doctoribus factam ex allegatis textibus juris probari. Unde facile judicari poterit, quid sentiendum sit de doctrina Schöpferi *hic n.* 7. quod nec homicidium dolosum præscriptionem admittere pie statuat Brunnemannus. *An in quibusdam delictis nulla currat præscriptio?*

De usu tit. remissivo. Praescriptio adulterii Saxonica.

Quae quoad USUM hujus tituli notanda sunt, repete ex dictis *ad Instit.* & *Pand. de usucapionibus & praescriptionibus.* Jure Saxonico Electorali adulterium duplicatum praescribitur vicennio; simplex quinquennio, quanquam olim quoad posterius dissensio inter JCtos Saxonicos fuerit. Conf. *dict. disputat.* §. 37.

TIT. III.

Quarum rerum actio non datur.

Lapsus Triboniani circa hunc titulū.

PRoprie actio non datur, quae est ipso jure nulla, sed hic non dari dicitur, quia exceptione peremtoria eliditur, ex ratione *l. 112. de R. J.* Ita Huberus *ad hunc tit. pos. 1.* Dic potius, Tribonianum hic fecisse rubrum minus correspondens nigro. Nihil enim hic continetur, quam tres exceptiones speciales, scilicet juramenti extrajudicialis, stipulationis onerandae libertatis causa, & de eo quod in alea gestum est. Verum quidem est, in effectu nihil interfuisse, ipso jure quis actionem non habeat, an ope exceptionis elidatur, multum tamen interest ratione conceptuum & modi procedendi, item intuitu interpretationis.

TIT. IV.

De litigiosis.

An hodie valeat alienatio rei litigiosae?

MOribus Galliae & Belgicis exceptio litigiosi non datur. Etiam apud nos valet alienatio rei litigiosae, si alienans paratus sit judicium pati. D. Beyer. *hic* §. 18. 19.

TIT. V.

De obligationibus & actionibus

SUM-

SUMMARIA.

Inutilis divisio actionum in nativas & dativas. Explicatio actionis arbitrariæ. An dentur actiones reipersecutoriæ ex delicto? Distinctio obligationis in naturalem, civilem & mixtam an alicujus usus? An usus actionum pœnalium? it. actionum b.f. & stricti juris? De usu tituli remissive.

Uti permultæ sunt actionum divisiones, quarum summarius index videri potest, apud D. Beyer. *hic*, ita alii addunt divisionem in actiones nativas & dativas, vide Schöpfer *hic n. 11.* sed ea rectius omittitur, cum nec in legibus sit fundata, nec usum in praxi habeat. *Inutilis divisio actionum in nativas & dativas.*

Communiter se torquent interpretes circa explicationem actionum arbitrariarum, propter §. *31. Inst. de act.* Simpliciter ita videtur dicendum esse: Tribonianum voluisse ostendere, quod omnes quidem actiones bonæ fidei sint arbitrariæ, non vero omnes arbitrariæ sint bonæ fidei. Id est, non-arbitrariæ actiones sunt solæ actiones stricti juris. Arbitrariæ vero, in quibus judicis pedanei arbitrium laxum fuit, sunt partim judicia bonæ fidei, partim illæ, quæ recensentur in *dict.* §. *31.* Ita non debemus sudare in applicanda definitione communi (quod in arbitrariis duplex sit condemnatio) ad omnia exempla ibi contenta. Ita etiam apparet, quam parum apte actionem arbitrariam & bonæ fidei confuderit Tribonianus, dum §. *28.* hereditatis petitionem retulit inter judicia bonæ fidei, cum sit saltem arbitraria. *Explicatio actionis arbitrariæ & non-arbitrariæ.*

De divisione actionum in rei persecutorias, pœnales & mixtas dixi in disputatione *de usu action. pœn. cap. 1.* *An dentur actiones rei*

ubi

perſecut. ex delicto? ubi latius egi de quæſtione, an dentur actiones rei perſecutoriæ ex delicto. Confer dicta in *Notis ad Inſtitutiones* §. *18. de Action. p. 260.*

Diſtinctio obligationis in nat. civ. & mixtam an alicujus uſus? Diſtinctio obligationis in naturalem tantum, civilem tantum, & mixtam MORIBUS eſt otioſa, quamvis prolixus ſit B. Hoppius *in Comment. ad pr. Inſt. de obligat.* in ejus explicatione. Moribus obligatio eſt vel imperfecta, quæ venit ex debito amoris, vel perfecta, quæ ex debito juſtitiæ. Ad obligationes perfectas pertinet etiam obligatio ex pacto. Obligatio civilis tantum eſt fruſtranea per *l. 112. de R. I.* Confer ſupra dicta *ad tit. quod met. cauſa* & D. Beyerum *hic poſt poſitionem 11.*

An uſus actionum pœnalium? Actiones pœnales Romanorum, item actiones in duplum, triplum & quadruplum a Germanis in foro non eſſe receptas, oſtenſum peculiari diſputatione *de uſu act. pœn.* & notatum in ſingulis titulis eo pertinentibus.

It. actionum b. f. & ſtricti juris? Nec uſum habere diſtinctionem actionum in bonæ fidei & ſtricti juris, diximus *ad* §. *28. Inſt. de action. p. 262.* & ſupra *ad tit. de reb. creditis.* Conſentit *Uſus mod. hic* §. *ult.*

De uſu tit. remiſſive. Reliqua quæ de USU hujus tituli notanda ſunt, repete ex *Notis ad Inſtit. titulos de obligat.* & *tit. de actionibus.*

LIB. XLV.

TIT. I.

De verborum obligationibus.

SUMMARIA.

An hujus tituli uſus practicus? An hodie alteri per alterum acquiratur obligatio?

Cum

CUm jam supra dictum sit *ad tit. de pactis*, pacta quævis apud Germanos producere actionem, & stipulatio sit contractus peculiaris juris Romani, inventus potissimum ad confirmationem pactorum, quæ alias nuda futura fuissent, patet, quod titulus *de V. O.* quatenus stipulatio erat contractus civilis, nullum habeat USUM in foris Germaniæ. Consentit *Us. mod. hic* §. *1.* Quia vero in hoc titulo multa repetuntur, quæ pertinent ad naturam promissionum in genere, & repetita sunt ex jure naturæ & gentium, eorum non exiguus est usus theoreticus. Nam quoad practicum ea, quæ juris gentium sunt, fuere in usu apud Germanos, antequam jus Romanum reciperent

An hujus tituli usus practicus?

De obligatione alteri per alterum acquirenda, vel minus, similiter observa. Quatenus jus Romanum hic fundatum est in jure gentium, quo quilibet regulariter curat negotia sua, non aliena, eatenus haud dubie observatur in praxi, & huc pertinent ea, quæ notavit *Us. mod. hic* §. *2.* de promissione facti alieni, item quæ alii observant de acceptatione promissi absenti facti. Quatenus vero Romani hanc regulam nimis subtiliter extendebant, ut olim per liberos homines nulla valeret acquisitio, ut tutor non posset nomine pupilli hereditatem adire, ut in cessione actionum etiam necessaria esset procuratio in rem suam &c. eatenus verior est sententia Mevii *Part. 4. decis. 112. n. 5.* hodie alteri per alterum obligationem acquiri statuentis. Conf. D. Beyer. *ad tit. de autor. tut.*

An hodie alteri per alterum acquiratur obligatio?

TIT. II.

De duobus reis constituendis.

SUMMARIA.

Quomodo hodie constituantur correi? An ad eos recte applicetur beneficium divisionis? An opus renunciatione hujus beneficii? An formula: alle vor einen *operetur obligationem in solidum?*

Quomodo hodie constituantur correi?

JUre Romano correi fiebant per solennitatem stipulationis. MORIBUS Germanorum, quibus stipulatio non est in usu, si duo promittant eandem summam, pro correis non habentur, quia regulariter ex natura promissæ quantitatis plures obligantur pro rata. Confer. Schilter. *Exerc. XLVIII.* §. *15.* & *19.* Ergo moribus nostris necesse est, ut si correi debeant constitui, debeat id fieri certis & expressis verbis, ut apud Schilterum *d.* §. *15.*

An ad eos recte applicetur beneficium divisionis?

Quod beneficium divisionis attinet, an Justinianus in *Nov. 99. c. 1.* ex principiis juris Romani id prudenter ad correos applicaverit, alii viderint. Sufficit nobis, quod id beneficium male communiter applicetur ad correos debendi Germanorum. Nam cum correi apud nos non sint, nisi qui verbis perspicuis se in solidum obligaverunt, ineptum esset, iis, qui hoc fecerunt, dare beneficium divisionis.

An opus renunciatione hujus beneficii?

Quare nec moribus nostris renunciatione hujus beneficii opus est. Sed citra specialem obligationem in solidum compromittentes ipso jure divisim sunt obligati, non vero demum beneficio divisionis. Qui vero expresse se in solidum obligarunt, ii non possunt uti beneficio divisionis, etiamsi ei non renunciaverint.

An formula: alle vor einen *operetur ob-*

Id tamen constat, si promittant, quod velint obligari einer vor alle / non se obligasse in solidum. Schilter. *Exerc. XLVII.* §. *16.* qui tamen adsuetus communi

muni sententiæ erroneæ, erronee dicit, hoc casu expresse correos in solidum promisisse, sed non expresse renunciasse beneficio divisionis. Confer *Notas ad Instit. h. t. p. 216.* *legationem in solidum?*

TIT. III.

De stipulatione servorum.

HUnc titulum hodie nullum habere USUM, dixi *ad Institut. h. t. p. 217.* *An tit. usus?*

LIB. XLVI.

TIT. I.

De fidejussoribus & mandatoribus.

SUMMARIA.

An fidejussionis romanæ usus? An uxor accipere possit fidejussorem pro dote? Actio ex fidejussione hodierna. An fidejussori competat actio antequam solvit? De usu beneficii excussionis, divisionis & cedendarum actionum.

FIdejussionis materia usu forensi quidem non infrequens est, nullus tamen USUS est fidejussionis Romanæ, quæ solennem stipulationem requirebat. Vide *Notas ad Institut. h. t., p. 223. seq.* Adde D. Beyerum *hic.* *An fidejussionis romanæ usus?*

De varia expositione prohibitionis, quod uxor non debeat accipere fidejussorem a marito pro dote restituenda, & utrum moribus ea observetur, vide D. Beyer. *posit. 7. seqq.* *An uxor accipere possit fidejussorem pro dote?*

Actio ex fidejussione moribus nostris est imploratio officii judicis, aut actio ex pacto. An fidejussor agere possit adversus debitorem, si nondum solverit, communi- *Actio ex fidejussione hodierna. An fide-*

jussori competat actio, antequam solvit? muniter negatur, sed ostendi peculiari disputatione Lipsiensi *de actione fidejussoris antequam solvit*, inter JCtos Romanos hanc quæstionem in utramque partem disputatam fuisse.

De usu benef. excussionis, divisionis; An Justinianus beneficium excussionis & divisionis prudenter concesserit fidejussoribus, dubito. MORIBUS tamen ea sunt recepta, exceptis causis mercatoriis. De jure antiquo Germanorum vide Schilterum *Exerc. XLVIII. §. 21. seqq.*

Et cedendarum actionum. Beneficium cedendarum actionum etsi moribus nostris non videatur esse necessarium, tutius tamen est, eo uti. Hodie tamen peti potest & impetrari post solutionem. D. Beyer. *posit. 24.*

TIT. II.

De novationibus & delegationibus.

An tit. usus? DE non-usu novationis Romanæ repete dicta *ad Instit. §. 3. quib. mod. toll. oblig.* Adde Schilterum *Exerc. XLVIII. §. 34.*

TIT. III.

De solutionibus & liberationibus.

SUMMARIA.

Beneficium dationis in solutum quid? Difficilis decisio quæstionis de mutatione pecuniæ. Ejus explicatio. Per quot testes probetur solutio?

Beneficium dationis in solutum quid? BEneficium dationis in solutum, quod fundatur in *Nov. 4. c. ult.* & per *Recess. Imp. de anno 1654.* confirmatum est, vid. *Us. mod. h. t. §. 12.* id involvit, ut creditor loco pecuniæ sibi debitæ aliam rem accipere

pere teneatur. Quibus casibus locum habeat, exponit D. Beyer. *hic posit. 12. seqq.*

Disputationem de mutatione pecuniæ in mutuo difficilem reddit, quod Dd. in explicatione etiam, quidnam significet respicere tempus solutionis vel contractus, dissentiant. Vid. *Not. ad Strauch. diss. 13. th. 10. p. 152.* Conf. Schulzium *ad Institutiones quib. mod. re contr. oblig. lit. a.* ibique Adr. Beier. item Dd. *ad Part. 2. Const. Saxon. 28.* ex quorum lectione patebit, distinctionem inter mutationem monetæ intrinsecam & extrinsecam, item inter tempus contractus & solutionis esse obscuriorem, nec rem dubiam perspicue explicare.

Difficilis decisio quæstionis de mutatione pecuniæ.

Videamus igitur, an eam possimus sensibiliter exponere absque usu illorum terminorum. Ubi initio supponendum, monetam majorem & minutam regulariter proportionem ad se invicem habere debere, ita ut v. g. thalerus æquiparetur 24. grossis, ducatus 48. Deinde communiter mutatione monetæ tempore necessitatis minutam monetam solere deteriorem fieri quoad materiam, itaque necesse esse, ut tum moneta major secundum proportionem istius deteriorationis augeatur quoad valorem, v. g. si grossorum 48. tanta sit bonitas ratione materiæ, quanta olim erat grossorum 24. necesse est tum, ut thalerus valeat 48. grossos monetæ currentis, ducatus 96. Tertio in mutuo semper debet reddi tantundem, non plus, etsi plus sit promissum. Igitur si in illo casu mutationis mutuo dati sint centies 24. grossi, qui tum æquipollebant 50. thaleris monetæ majoris, non valebit pactum adjectum de reddendis 100. thaleris monetæ majoris, imo ne quidem de

Ejus explicatio.

reddendis 60. quia hoc ſaperet uſurariam pravitatem. Jam in eo conſentiunt Dd. omnes, ſi mutuo dati ſint 100. thaleri monetæ majoris, & pactum ſit adjectum de reddendis in moneta majore, quod tum reddendi ſint tot numero, quot mutuo dati ſunt, quæcunque etiam monetæ minutæ mutatio poſtea facta fuerit, ſive in melius, ſive in deterius. Et recte; quia creditor tum accipit in genere, quod dedit. Quodſi pactum tale non ſit adjectum, eſt quidem liberum debitori, utrum ſolutionem velit facere in moneta majore, an currente, ſed non liberum eſt, utrum velit minus reddere, quam accepit. Itaque ſi velit ſolutionem facere in moneta majore, neceſſe eſt per modo dicta, ut reddat tot corpora, quot accepit. Ergo ſi velit ſolvere pecuniam debitam in moneta currente, tot nummos debet ſolvere, quot tum æquipollent 100. thaleris monetæ majoris, id eſt, in caſu deterioratæ monetæ currentis, ducenties 24. groſſos. Vice verſa, ſi tempore contractus mutuo accepit centies 24. groſſos, qui tum temporis valebant 50. thaleros monetæ majoris, ſolvet etiam, ſi poſtea nulla mutatio monetæ currentis facta fuerit, vel 50. thaleros in ſpeciebus, vel 100. thaleros monetæ currentis. Et ſi interea moneta currens depravata priſtino valori fuerit reſtituta, ut 24. groſſi proportionem habeant cum thalero in ſpecie, reſtituet etiam 50. thaleros in moneta currente.

Per quot teſtes probetur ſolutio? Denique hodie moribus ſolutio probatur per duos teſtes, non præciſe per quinque, ut vult *l. 18. C. de teſtibus*, quæ moribus Germaniæ non eſt recepta.

TIT. IV.

De acceptilatione.

Acce-

ACceptilationis nullum esse USUM, dixi *ad Instit. quib. mod. toll. oblig.* §. 1. & 2. *p.* 236. Confer. D. Beyerum *hic*, Schilterum *Exerc. XLVIII.* §. 40. *An hujus tit. usus?*

TIT. V.

De stipulationibus prætoriis.

DE non-usu hujus tituli repete dicta *ad Inst. de divis. stipulat. p.* 218. Adde Beyer. *hic*, Schilterum *Exerc. XLVIII.* §. 41. 42. *An tit. usus?*

TIT. VI.

Rem pupilli salvam fore.

HODIE nec hæc cautio exigitur. Schilter. §. 43. *An tit. usus?*

TIT. VII.

Judicatum solvi.

CAutio judicatum solvi hodierna non docet USUM hujus tituli; Schilter. *Exerc. XLVIII.* §. 44. *seq.* Neque reus hodie in civilibus ad cautionem regulariter tenetur, *Us. mod.* §. 1. *hic.* Adde dicta *ad Instit. de satisdat. p.* 270. *An tit. usus?*

TIT. VIII.

Rem ratam haberi.

DIffert & cautio rati hodie in multis a cautione Romana. Conf. D. Beyer. *hic in fine.* *An tit. usus?*

LIB. XLVII.

TIT. I.

De privatis delictis.

An usus distinctionis inter verum & quasi delictum? || *it. inter delicta publica & privata it. extraordinaria & po-*

& popularia? An detur apud nos actio pœnalis ex delicto privato? Examinatur criterion delicti privati.

An usus distinct. inter verum & quasi delictum? It. inter delicta publica & privata. it. extraordinaria & popularia?

DIstinctionis inter verum & quasi delictum hodie nullum esse USUM in praxi, probatum jam fuit in *Notis ad Instit. de oblig. quæ quasi ex del. nasc. p. 253. seq.*

Quod distinctionem inter delicta publica & privata, item crimina extraordinaria & actiones populares attinet, docui in disputatione Lipsiensi *de crimine abigeatus:* crimina esse vel publica, vel privata. Illa vel publica stricte dicta, vel extraordinaria; Hæc vel privata stricte dicta, vel popularia; ubi latius respondi illis, qui extraordinaria referunt ad privata. MORIBUS nostris hæc distinctio exiguum habet usum, cum apud Germanos omnia crimina sint publica, & in pœnis imponendis, si lex fundamentalis, id est, constitutio Carolina vel ordinatio politica specialis deficiat, determinatio pœnæ relinquatur arbitrio judicis. Populares actiones nullæ apud Germanos sunt receptæ.

An detur ap. nos actio pœnalis ex delicto privato? Examinatur criterion delicti privati.

Ex privatis delictis juris Romani non datur actio pœnalis apud Germanos, quod latius ostensum *ad initium Inst. de oblig. quæ ex delicto nascuntur p. 238. seq.* excepta actione injuriarum, quamvis & in multis locis injuria consideretur ut crimen publicum, ita ut judex ex officio inquirat. Ut mirer, D. Beyerum *ad h. tit. pos. 1. & 2.* asserere, delicta, quæ carcere & mulcta puniuntur, esse privata, quia scilicet non sint peinlich. Uti enim aperte miscetur causa civilis cum delicto privato, ita vel ea, quæ Schottelius ab ipso citatus habet, docere possunt, etiam carcer & relegationem quandoque

doque pertinere ad causas criminales zu peinlichen Fällen.

TIT. II.
De furtis.

SUMMARIA.

Furtum ad quæ delicta referatur? Ejus pœna. An actiones furti Romanæ in usu?

FUrtum apud Germanos considerari ut delictum publicum, in confesso est. Pœna ex legibus Germanorum antiquioribus & constitutione Carolina, item ex ordinationibus provincialibus petenda. *Furtum ad quæ delicta referatur? Ejus pœna.*

Actionem furti sive manifesti, sive non manifesti apud Germanos nunquam esse receptam, non obstante dispositione ipsius constitutionis Carolinæ, ostendi in dissertatione *de usu action. pœnal. c.3. §. 41. 42.* & latius in *Notis ad Inst. §.4. seq. de oblig. quæ ex del. nasc.* Unde facile removentur, quæ habet *Usus mod. hic §. 1.* Confer D. Beyer, *hic p. 599.* Schilter. *Exerc. XLIX. §. 6.* *An actiones furti Romanæ in usu?*

TIT. III.
De tigno juncto.

ACtionem de tigno juncto non habere USUM in foris Germaniæ, partim quia est in duplum, partim quia tignum est res fungibilis, docui, & simul confusionem hujus doctrinæ, ac quod hoc supposito quæstiones variæ (v. g. an actio in duplum de tigno juncto sit mere pœnalis an mixta? item an b. f. possessor se liberare possit a pœna dupli eximendo tignum? &c.) sint otiosæ, ostendi in dissert. *de usu action.* *Cur hujus actionis nullus usus?*

pœnal. c. 3. §. 43. & de pretio affectionis in res fungibiles non cadente c. 3. §. 59. seq. Adde D. Beyerum *hic.*

TIT. IV.

Si is, qui testamento liber esse jussus post mortem domini ante aditam hereditatem subripuisse, aut corrupisse quid dicetur.

An hujus actionis usus? HAnc actionem hodie non habere USUM fatentur doctores, sed non ex justa ratione, quasi nimirum hodie servitus sit sublata. Ostendi, etiam non habere usum in Turcis captis, disp. *de usu act pœn. c. 3. §. 44.*

TIT. V.

Furti adversus nautas, caupones, stabularios.

Cur tit. nullus usus? NEc hanc actionem hodie in USU esse, cum actio furti in genere non obtineat, probatum *ibid. §. 45.*

TIT. VI.

Si familia furtum fecisse dicetur.

Cur tit. nullus usus? CUm supra *ad tit. de noxal. action.* docuerimus, eas non habere usum in servis Germanorum; sequitur, quod nec hic titulus tanquam appendix actionum noxalium hodie USUM habeat. Conf. D. Beyer. *hic.*

TIT. VII.

Arborum furtim cæsarum.

An hujus actionis usus? HÆc actio nunquam a Germanis est recepta, adeoque nullus ejus USUS practicus. dict. disp. *de Usu act.*

act. pœn, c. 3. §. *46.* D. Beyer. *hic.* Nec probat contrarium constitutio criminalis *art. 168*, adducta a Schöpfero *hic n. 5.*

TIT. VIII.

Vi bonorum raptorum, & de turba.

NEc hanc actionem USU obtinere dixi *ad Institutiones h. t. p. 247.* item dict. disp. §. 48. 49. D. Beyer. *hic.* *An h. t. in usu?*

TIT. IX.

De incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata.

NEque hic titulus USUM habet in praxi; dict. disp. §. *49.* D. Beyer. *hic.* *An hujus tit. usus?*

TIT. X.

De injuriis & famosis libellis.

SUMMARIA.

Actio injuriarum an in usu? An etiam propter osculum detur? An cumulari possit æstimatoria & criminalis? An pœna determinari possit in actione criminali? An per declarationem rei ante L. C. tollatur injuriarum actio? Actio ad palinodiam an sit pœnalis? An retorsio judici insinuari possit? An per usum sacræ cœnæ remittatur injuria?

ACtio injuriarum haud dubie USU recepta vid. dict. disp. *de usu act. pœnal. c. 3.* §. *50. & 56.* Confer dicta *ad Institutiones h. t. p. 251. seq.* Adde Simonis disput. *de actione injuriarum contra sacerdotes.* *Actio injuriarum an in usu?*

Etiam ob osculum virgini invitæ datum actionem inju- *An propter osculũ detur?*

injuriarum dari, noat Schöpferus *hic n. 29.* quod tamen hodie non habet usum, quia non præsumitur animus injuriandi, nisi forte persona vilis fœminam honestam osculetur. Dixi & responsum Scabinorum attuli in *Notis ad Strauchium Exerc. 19. th. 14.*

An cumulari possit æstimatoria & criminalis?

Etsi autem certum sit, actionem injuriarum æstimatoriam & criminalem non posse cumulari; Conf. *Us. mod. h. t. §. 21.* poterit tamen judex ex officio punire etiam injuriantem, inprimis si injuria gravior sit, unde non vitiabitur libellus, si actor in æstimatoria adjungat petitionem pœnæ generalem secundum arbitrium judicis.

An pœna determinari possit in actione criminali?

Male in actione injuriarum criminali permittitur petitio pœnæ determinatæ, v. g. relegationis, fustigationis &c. cum potius deberet determinatio pœnæ judici relinqui. Et talis petitio plerumque nova injuria afficit reum, & occasionem dat variis inconvenientiis. Ita respondit Facultas nostra ante aliquot annos, cum is, qui sic conventus erat, in exceptionibus suis iterum gravioribus injuriis affecerat actorem ob tale petitum.

An per declarationem rei ante L. C. tollatur injuriarum actio?

Reus per declarationem honoris sponte factam non liberatur ab injuriarum actione extra Saxoniam, bene tamen in Saxonia, modo ea fiat ante litem contestatam, & agatur ad palinodiam, non vero, si ad æstimationem. Conf. *Us. mod. hic §. 31.*

Actio ad palinodiam an sit pœnalis?

Origo actionis ad palinodiam est incerta, Schilter. *Exerc. XLIX. §. 31.* Ea communiter dicitur esse rei persecutoria. At natura rei inspecta verius est, esse pœnalem; vid. disp. Lips. *de philosophia juris §. 176. cap. 2.* Unde ex veriore hac hypothesi, quod sit famosa & pœnalis, non potest cum æstimatoria cumulari, & ita hodie

hodie plerumque in praxi obtinet. Confer Schilter. *dict.* §. *31.*

Retorſio eſt remedium extrajudiciale, adeoque judex eam non tenetur accipere. Schilter *ibid.* §. *34.* Qui retorſionem actis inſcribit judice non permittente, arbitrarie punitur, vid. Beyer. *ad finem hujus tituli.* *An retorſio judici inſinuari poſſit?*

An injuriatus ſacra cœna utens habeat actionem injuriarum; affirmant aliqui, quos vide apud Schöpferum *hic* §. *56. ſeq.* Verior negativa, quia eſt pœnalis ad vindictam adſpirans. Aliud dicendum, ſi eſſet rei perſecutoria. Conf. *Uſ. mod.* §. *36.* *An per uſum S. cœnæ remittatur injuria?*

TIT. XI.

De extraordinariis criminibus.

DIfferentiam inter crimina publica & extraordinaria nullius apud Germanos eſſe USUS, ſupra jam diximus *ad tit. de privat. delict.* Adde omnino D. Beyerum *hic ab initio*, qui eandem ſententiam adverſus doctrinam Schilteri *Exerc. XLIX.* §. *36.* latius adſtruit. *An hodie differant crimina publica & extraordinaria?*

TIT. XII.

De ſepulchro violato.

SUMMARIA.

An hæc actio recte referatur ad crimina extraordinaria? An ejus uſus? Cur apud nos ceſſet probibitio ſepulturæ in civitate?

ACtionem de ſepulchro violato, cum popularis ſit, parum convenienter a Triboniano eſſe inter crimina extraordinaria relatam, & quamvis ſepulchro- *An hæc actio recte referatur ad crim. extraordina-*

ria? An ejus usus? pulchorum violatores hodie puniantur arbitrarie, propterea tamen exinde non probari receptionem juris Romani, ostendi in disput. *de usu act. pœnal. cap. 3. §. 51.* contra doctrinam Schilteri *Exerc. XLIX. §. 37.* Conf. D. Beyer. *ad h. t.*

Cur ap. nos cesset prohibitio sepulturæ in civitate? Porro jure Romano qui cadaver humanum in civitate sepeliebat, puniebatur quadraginta aureis *l. 3. §. 5. h. t.* Sed nec hoc est receptum a Germanis propter jus canonicum diu ante jus Justinianeum receptum. Sed alibi ostendimus, dispositionem juris Romani esse principiis juris naturalis maxime convenientem, & contrariam consuetudinem ortum debere avaritiæ & ambitioni cleri papalis.

TIT. XIII.
De concussione.

An concussio crimen publicum? VErius est, & hoc crimen hodie esse publicum, etsi pœna arbitraria puniatur. Nam & crimen falsi punitur pœna arbitraria, Dissentit Schilter. *Exerc. XLIX. §. 38.*

TIT. XIV.
De abigeis.

An pœna abigeatus hodie arbitraria? DE abigeatu egi peculiari disputatione Lipsiensi, ubi simul docui, MORIBUS Germaniæ pœnam hujus delicti a judice posse exasperari. Conf. D. Beyerum *hic*, Schilter. *Exerc. XLIX. §. 39.*

TIT. XV.
De prævaricatione.

Quomodo hodie puniatur prævari- IN pœna prævaricationis publicæ HODIE jus Romanum non observatur, ut scilicet accusator eadem

pœna

pœnâ adficiatur, qua reus tenebatur, sed extraordinaria coërcitio locum habet; Conf. D. Beyer. *hic n. 5. seq.* quamvis hodie rariores sint casus prævaricationis publicæ ob cessantem fere processum accusatorium. *catio publica? An ea frequenter occurrat?*

TIT. XVI.

De receptatoribus.

HIc recessere MORES hodierni à jure antiquiore Germanico, quod cum jure Romano consentiebat, Schilter. *Exerc. XLIX.* §. 40. *An hic tit in usu?*

TIT. XVII.

De furibus balneariis.

ERgo nec hujus tituli USUS. Consentit *Us. mod. hic.* Schilter. *Exerc. XLIX.* §. *41.* *An hic tit. in usu?*

TIT. XVIII.

De effractoribus & expilatoribus.

NEque hujus tituli pœna hodie obtinet tam ratione effractoris, quam custodis carcerum. Conf. *Us. mod. hic.* §. *2.* & *4.* Adde Schilter. *Exerc. XLIX.* §. 42-47. De expilatoribus vide *Us. mod.* §. *ult.* ubi recte notatur adversus Schilterum, hodie eos ut alios fures vel raptores considerari. *An tit. usus?*

TIT. XIX.

Expilatæ hereditatis.

MORIBUS Germaniæ hoc delictum non est levius furto, sed gravius, adeoque & adversus heredes gravius coërcetur. Conf. D. Beyer. *hic*, ubi satis accuratè disputat contra doctrinam Schilteri *Exerc. XLIX.* §. *47. seq.* *Pœna expil. hered. hodierna?*

TIT.

TIT. XX.
Stellionatus.

SUMMARIA.

Quæ delicta huc referantur? An hoc crimen infamet? An tituli usus?

Quæ delicta huc referantur?

NOn male D. Beyerus *ad hunc tit.* arguit, crimen stellionatus saltem obtinere in delictis intuitu contractuum commissis.

An hoc crimen infamet?

Crimen stellionatus infamat *l. 13. §. ult. de his, qui not. infam.* imo non infamat *l. 2. h. t.* Conciliationem novam dedi *ad Huberum h. t. posit. 19.* Adde *novas additiones ad Huberi prælectiones hic.*

An tituli usus?

MORIBUS hæc extraordinaria persecutio non est recepta, adeoque hic titulus nobis ignotus. Potest tamen à magistratu quis talia committens puniri ex officio.

TIT. XXI.
De termino moto.

An hoc crimen hodie sit extraordinarium?

ETsi motores terminorum hodie arbitrarie puniantur, propterea tamen hodie hoc crimen non est extraordinarium. Pœnas juris Germanici recenset D. Beyerus *hic.* Conf. Schilter. *Exerc. XLIX. §. 52.*

TIT. XXII.
De collegiis & corporibus.

Collegium illicitum quando dicatur?

MORIBUS collegia omnia, etiam quæ honestatis prætextum præ se ferunt, pro illicitis habenda post interdictum principis, jure Romano vero, si non essent approbata, *l. 85. 175. de V. S.*

TIT.

TIT. XXIII.

De popularibus actionibus.

Populares actiones a Germanis non esse receptas, docui in disput. *de usu action. pœnal. c. 2. §. 12 · 17.* & illustrant doctrinam hanc dicta *ad tit. de jurisdictione* de actione albi corrupti, it. *ad tit. de his qui effud. vel dejec.* &c. Conf. D. Beyer. *hic.* Nec obstant ea, quæ habet Schilterus *Exerc. XLIX. § 58. 59.* Nam denunciatio & inquisitio non probant usum actionum popularium. Per modum actionis autem eas posse institui, est petitio principii. *An usq actionum popularium?*

LIB. XLIIX.

TIT. I.

De publicis judiciis.

SUMMARIA.

Differentia inter judicia publica & privata. Fundamentum differentiæ inter causas civiles & criminales, it. peinliche und bürgerliche Fälle.

De differentia inter modum procedendi apud Romanos in publicis & privatis judiciis vide summatim D. Beyerum *hic.* *Differentia inter judicia publica & privata.*

A differentia publicorum delictorum & privatorum suo modo jure Romano dependet differentia inter causas civiles & criminales. Hæ germanice dicuntur peinlich / illæ bürgerlich. Quamvis, si accurate loqui velimus, apud Germanos peinlich illud nominetur, ubi pœna est capitalis vel corporis afflictiva; Ubi vero relegatio vel carcer, ibi refertur zu bürgerlichen *Fundamentum differentiæ inter causas civiles & criminales, it.* peinliche und bürgerliche Fälle.

chen Klagen / scilicet si cognitio criminis pertineat ad eum, qui habet jurisdictionem inferiorem die Untergerichte. Nam distinctio in peinliche und bürgerliche Fälle dependet a distincto officio des Vogts und des Schultheissens / vel potius à distincta jurisdictione magistratuum urbicorum a jurisdictione Sculteti & Advocati, qua de re dixi in disputatione *de divisione jurisdictionis secundum mores Germanorum*. Ut adeo frustra circa hanc quæstionem se torqueant Dd. qui sine antiquitatibus Germanicis ex autoritate pragmaticorum eam definire voluerunt, ipse etiam Schilterus, quem vide *Exerc. XLIX.* §. *60 -- 65*. Confer notata supra *ad tit. de privatis delictis*.

TIT. II.

De accusationibus & inscriptionibus.

SUMMARIA.

An usus tituli ratione accusationis, ratione inscriptionis? Origo inquisitionis.

An usus tituli ratione accusationis?

ACcusatio cujusvis de populo apud Germanos nunquam est recepta, ut recte contra communem sententiam defendit D. Beyerus *hic*. Accusatio eorum, quorum interest, non quidem prohibita est, sed & ipsa tamen rarius fit, cum plerumque denuncient læsi rem ad inquirendum. Quodsi a principe Fiscalis constituatur ad accusandum, uti in non paucis locis id est receptum, tum quoad processum singulæ fere provinciæ suas peculiares habent observantias, aut ordinationes. Ut adeo & hujus tituli exiguus sit USUS in foris Germaniæ.

Inscri-

Inſcriptio accuſatoris nunquam a Germanis fuit uſu recepta, ut fatentur omnes. *Ratione inſcriptionis?*

Inquiſitio vero omnino Romanis erat incognita, (minimum ut proceſſus criminalis ordinarius,) ſed in Germaniam mediante jure canonico fuit introducta, ac poſtea conſtitutione criminali, quamvis per indirectum, confirmata. Vide diſputationes *de origine proceſſus inquiſitorii* & *de occaſione & conceptione conſtitutionis criminalis*. Habent tamen & ſingulæ provinciæ ſua ſpecialia. Communia exponuntnr a Carpzovio in *Criminalibus*. Confer Schilter. *Exerc. XLIX.* §. *68. 71--78.* *Origo inquiſitionis.*

TIT. III.

De cuſtodia & exhibitione reorum.

SUMMARIA.

Ratio cuſtodiæ apud Romanos? Cur apud nos carcer degeneraverit in pœnam?

OLim temporibus liberæ reipublicæ apud Romanos, ubi graviſſima pœna erat aquæ & ignis interdictio, ut ex Livio, Cicerone aliisque apparet, non opus erat ſqualidis carceribus, ſed ſufficiebat rei qualiscunque cuſtodia, imo plerumque cognati & amici cum cautione cuſtodiebant reos. *Ratio cuſtodiæ ap. Romanos.*

Quod ſqualidi apud nos ſint carceres, & quod carcer pœna ſit, videtur in Germaniam introductum partim per jus canonicum, & uſum cleri pontificii, apud quem carcer haud dubie pœna eſt, partim per carceres nobilium in pagis, etiam magis ad pœnas, quam ad cuſtodiam ruſticorum ſeu hominum propriorum inventos. Unde poſtea, cum ex dominii exercitio fieret jurisdictio patrimonialis, facilius ejusmodi *Cur apud nos carcer degeneraverit in pœnam?*

carceres ſqualidi tranſierunt etiam in uſum civitatum & municipiorum. Confer de praxi hodierna carcerum ſuccincte D. Beyer. *hic*.

TIT. IV.

Ad legem Juliam majeſtatis.

SUMMARIA.

Obſervatio generalis de uſu hujus & ſequentium titulorum. Mores gentium diverſi circa pœnam criminis majeſtatis. Blaſphemia an huc pertineat? An pœna l. 5. C. h. in uſu? Singularia circa proceſſum hujus criminis examinata.

Obſervatio generalis de uſu hujus & ſequentium titulorum.

CIrca USUM hujus & ſequentium titulorum in genere notandum, quod non videndum ſit, utrum crimina apud nos ſint in uſu, ſed utrum pœnæ. At quoad pœnas notum eſt, primario hic reſpiciendam eſſe conſtitutionem criminalem Carolinam, tum ordinationes politicas provinciales. Quid ergo opus eſt ambagibus, & tædioſa comparatione juris Romani cum moribus? inprimis cum ex iſta collatione perſpicue appareat, juris Romani & morum Germaniæ eſſe perpetuam fere diſcrepantiam.

Mores gentium diverſi circa pœnam criminis majeſtatis.

In ſpecie, quod legem Juliam majeſtatis attinet, ſingulæ gentes habent ſuas pœnas in hoc crimine, ſuos etiam diverſos de eo conceptus. Apud Romanos quid obtinuerit, non melius cognoſci poteſt, quam ſi legantur Livius, Tacitus, Cicero &c. ubi deprehendes variationes multas caſuum ad hanc ſpeciem relatorum, (quas poſtea Tribonianus in conſarcinatione corporis juris non eleganter confudit) item abuſus accu-

ſatio-

ſationum, & artes tyrannicas ſub larva harum accuſationum occultatas, (confer. Ziegler. *de juribus majeſtatis l. 1. c. 2. §. 13. ſeq;* Schilter. *Exerc. XLIX. th. 79. 80. 81.*) quarum reliquiæ etiam ſunt in codice juris Juſtinianei, v. g. lex de crimine in ſtatuas commiſſo. Germani vero, ut olim proditionem puniverint, legendus Tacitus. De conſtitutionibus imperatorum Germanorum vide Schilterum *Exerc. XLIX. §. 82. 83.*

Blaſphemia an huc pertineat? Blaſphemiam eſſe quidem delicti publici ſpeciem, nequaquam tamen ad legem Juliam majeſtatis ſpectare, docet Anton. Matth. *de criminibus ad l. Jul. majeſt. c. 1. n. 2.* De pœna eorum, qui ſacramentis maledicunt, notabilia habet Schilterus *Exerc. XLIX. §. 84.* Plura dicentur in expoſitione juris eccleſiaſtici.

An pœna l. 5. C. h. in uſu? De juſtitia *l. 5. C. h. t.* latius diſſerui in *Notis ad Strauchium Exerc. 29. th. 4. p. 440. ſeq.* ubi in fine adjectum, hanc pœnam hodie in imperio non obſervari.

Singularia circa proceſſum hujus criminis examinata. Quæ doctores communiter, & inter illos Schöpferus *n. 15. & ſeq. hic*, tanquam ſingularia in hoc crimine & ejus proceſſu recepta notant, ea ſuccincte & erudite examinat D. Beyerus *ad h. t. poſit. 8--32.*

TIT. V.

Ad legem Juliam de adulteriis coërcendis.

SUMMARIA.

An perſonæ ſerviles jure Romano committant adulterium? Differentiæ juris Romani & Germanici quoad adulterium. An pater & maritus impune poſſit occidere adulterum? An uſus juris Romani intuitu fornicationis, intuitu ſtupri violenti, it. ſtupri ſimplicis. Origo do-

go doctrinæ de ducenda aut dotanda stuprata. An ejus usus? An usus juris Romani in pœna Sodomiæ, bigamiæ, incestus. Pœna capitis in crimine Onanitico injusta. Expositio doctrinæ de lenocinio.

An personæ serviles jure Rom. committant adulterium?

Cum adulterium de jure Romano sit violatio thori alieni, ergo & isto jure adulterium non committitur, nisi inter liberos homines, & servi ob violatum contubernium adulterii crimine accusari non possunt *l. 23. pr. C. h. t.* Sed tamen notabilis est locus Flavii Vopisci *in Aureliano c. 49. p. 601: Ancillam suam, quæ adulterium cum servo suo fecerat, capite punivit.*

Differentiæ juris R. & G. quoad adulterium.

Diversitas juris Romani & Germanici quoad crimen adulterii in eo potissimum consistit, (1) quod jure Romanano adulterium tantum committatur in uxorem alienam, non a marito in solutam; Jure vero Germanico etiam a marito: (2) quod jure Romano tantum certæ personæ haberent jus accusandi; apud nos quilibet potest denunciare: (3) ratione pœnæ ipsius. Inde etiam distinctio inter adulterium simplex & duplicatum est juri Germanico, vel potius canonico, unde Germanicum jus id hausit, propria.

An pater & maritus impune possit occidere adulterum?

Jure Germanico etiam verius est, occisionem adulteri a patre & marito factam non esse plane impunem. Vide omnino D. Beyerum *post posit. 27.*

An usus juris Romani intuitu fornicationis?

Intuitu fornicationis, juris Romani, secundum quod impune licebat cum meretricibus libidinem explere *l. 22. C. de adult.* nullus etiam est USUS, respectu legum Germanicarum, certe apud Protestantes. Dico respectu legum; Nam intuitu judiciorum tene regulam: Dant veniam divitibus & potentibus, vexant judicia pauperes & viles.

Quoad

Quoad ſtuprum violentum equidem mores noſtri conveniunt cum jure Juſtinianeo, ſaltem cum noviore §. 8. *Inſt. de publ. jud.* Hoppius *ad* §. 4. *ibid.* Sed tamen ita capitaliter puniverunt jam ante receptum jus Juſtinianeum, etiamſi meretricem quis vi compreſſerit; *Jus Saxon. provinc. lib. 3. art. 40.* quod & adhuc hodie obſervatur in Saxonia. D. Beyer. *hic* §. 30. De pœna auxiliatorum vide Schilterum *Exerc. XLIX.* §. 103. *Intuitu ſtupri violenti?*

Ex dictis *ad initium tit. de L. Jul. majeſt. junct.* §. 4. *Inſt. de publ. jud.* patet, quod etiam intuitu ſtupri ſimplicis, jus Romanum non ſit USU receptum. Stuprata enim hodie alternative poteſt agere, ut ſtuprator ipſam ducat, aut dotet. Ortum ducit hæc diſpoſitio ex jure canonico, quod jus Moſaicum ad rempublicam Judaicam in ſpecie pertinens ex ratione ſtatus clericalis ad reſpublicas Chriſtianas applicavit, pro lubitu tamen hinc inde mutando, ut hic exemplum habes, cum jure Moſaico ſtuprator & ducere & dotare teneretur fœminam ſtupratam, *Exod. XXII. v. 16.* Id tamen jam obiter obſerves, rariſſime ob tædium & ambages proceſſus noſtri hic tradita obtinere USUM in praxi. Si enim ſtupratores ſunt pauperes & viles, non conſultum eſt fœminæ ſtupratæ, ut eam ducat ſtuprator, dotare vero non poteſt: Si ſunt divites & potentes, vix ſtupratæ in facto, occulto inprimis, ſperare poſſunt eventum favorabilem. Ergo plerumque res per tranſactionem tollitur. *It. ſtupri ſimplicis? Origo doctrinæ de ducenda aut dotanda ſtuprata. An ejus uſus?*

Pœna capitalis Sodomiæ, uti recepto Chriſtianiſmo introducta fuit apud Romanos, ita eadem obtinuit diu ante receptum jus Juſtinianeum in Germania. Porro cum conſtitutio criminalis hac de re diſerte di- *An uſus juris Rom. in pœna Sodomiæ?*

ſponat,

ſponat, cui uſui cum lege Germaniæ comparare legem Romanam?

Bigamiæ? De pœna bigamiæ jure Romano latius egi in diſputatione Lipſienſi de crimine bigamiæ §. *46.* item §. *64. ſeq.* Ex conſtitutione criminali & de jure Saxonico recentiori pœna gladii in bigamos conſtituta eſt *ibid.* §. *72.* ubi ſimul dictum, quibus caſibus illa pœna mitigetur.

Inceſtus? Inceſtus jure Romano puniebatur quidem ut adulterium *l. 38. pr. ff. h. t.* Sed lex Julia non coërcebat adulterium pœna capitali, vide dict. diſp. *de crimine bigamiæ* §. *64. ſeq.* Ergo hic iterum exiguus erit USUS juris Romani.

Pœna capitis in crimine Onanitico injuſta. Crimen Onaniticum olim, ob male intellectum textum ſcripturæ ſacræ de Onane agentem, a Scabinis capite fuit punitum, ut refert Beatus *in faſciculo de matrimonialibus & criminalibus.*

Expoſitio doctrinæ de lenocinio. Differentiam juris Romani & Germanici circa crimen lenocinii (cujus doctrina alias confuſe proponitur & multis difficultatibus eſt obnoxia, *Not. ad Strauch. Exerc. XIX. 5. p. 242. & XXVI. 7. p. 303.*) latius & diſtincte expoſuit D. Beyer. *hic poſit. 43--56.*

TIT. VI. & VII.

Ad legem Juliam de vi publica & privata.

SUMMARIA.

Diſſenſus JCtorum circa differentiam inter vim publicam & privatam. An ea diſtinctione opus? Alia diviſio ex moribus Germaniæ. Quomodo differant raptus & ſtuprum violentum? Pœna raptus hodierna.

Quo-

QUomodo jure Romano differat accurate vis publica & privata, vix constat inter interpretes. Vide Schilterum *Exerc. XLIX.* §. *109. 110.* qui ad eorum conciliationem varia genera vis publicæ effingit *d. l.* §. *111.* Mihi videntur ipsi JCti Romani in expositione legis Juliæ dissensisse, si quis absque præjudicio leges horum titulorum perlegat, adeoque Tribonianus incaute dissensiones illas inseruit Pandectis. Confer. Huber. *ad Inst. de publ. jud. posit. 43. 44.* & *ad Pandect. h. t. posit. 1. & 2.* Nihil interesse putat D. Beyerus *hic ab initio*, cum pœna sit arbitraria. Sed hoc de moribus Germaniæ verius est, quam de jure Romano. Conf. §. *8. Inst. de publ. jud.*

Dissensus JCtorum circa differentiam inter vim publ. & privatam.

Ego putem tutius quoad MORES Germaniæ omitti distinctionem vis publicæ & privatæ, & his convenientius distingui vim in Land- Burg- und Haus-Friedebruch. De ultimis duabus speciebus vide D. Beyer. *posit. 2. & 3.* De origine violationis & constitutionis pacis publicæ apud Germanos non vulgaria habet Schilter. §. *106. 107. 108.*

An ea distinctione opus? Alia divisio ex moribus Germ.

Porro communiter ab interpretibus confunditur raptus & stuprum violentum (etiam aperte a Schiltero §. *100. 101. Exerc. XLIX.*) cum tamen differant. Stuprum violentum potest esse absque raptu: raptus partim absque stupro, partim absque violentia, si puella consentiat. Adde, quod jam notatum sit *ad tit. præced.* stuprum violentum jure Germanico etiam committi in meretricem.

Quomodo differant raptus & stuprum violentum?

Quoad pœnam raptus magis apud Germanos jus canonicum observatur, quam jus Romanum. Conf. Schilter. §. *98 -- 105.* ubi tamen ex iis, quæ habentur

Pœna raptus hodierna.

§. *105*. apparebit, quomodo JCti Germaniæ se torquere inceperint, quam primum jus patrium ex legibus Romanis interpretati sunt. Conf. D. Beyer. *hic.posit*. *6. 7. 8.*

TIT. VIII.

Ad legem Corneliam de sicariis & veneficiis.

SUMMARIA.

An etiam apud nos animus interficiendi puniatur ut homicidium? Pœna homicidii varia. An ejus pœna capitalis apud nos sit ex jure Romano? An lethalitas vulneris semper ex inspectione dijudicanda? An attendenda absoluta lethalitas vulneris? An princeps dispensare possit in poena homicidii? An castratio hominum & ejus poena in usu apud nos? Assassinii origo. An usus juris Romani in poena veneficii? An dentur pacta veneficarum cum diabolo? An usus juris Rom. quoad pœnam incendii?

An etiam apud nos animus interficiendi puniatur ut homicidium?

LEx Cornelia eadem pœna coërcet non solum eum, qui dolo malo hominem necat, sed &, qui cum telo ambulat hominis interficiendi causa; Germani vero homicidium præcise commissum considerant, animum absque homicidio commisso ut homicidium non puniunt, unde maxime solliciti sunt de lethalitate vulneris, quod Romani non curabant. Vide *l. 1. ff. h. t. Not. ad Strauch. XXIX. 7. p. 447.* Schilter. *Exerc. XLIX. §. 113. 118 -- 123.* D. Beyer. §. 4. *seq.* Unde & hujus tituli USUS forensis non est magnus.

Pœna homicidii varia. An ejus pœna

MORES Germanorum circa homicidii pœnam variantes diligenter exposuit Schilter. §. *114 -- 117.* & §. *124.*

§. *124.* Id tamen notam meretur, quod, cum Schilterus *in fine* §. *11.* docuisset, jure Saxonico & Svevico pœnam capitalem in homicidas jam fuisse observatam, subjungat: *eoque jure eo magis in foro hodierno utimur, postquam jus Romanorum in foro recepimus;* cum potius ad constitutionem Carolinam provocare debuisset, quam ad jus Romanum, oblitus videlicet eorum, quæ ipse docuerat de jure Romano *dicto* §. *113.* *capitalis apud nos sit ex jure Romano?*

Inspectioni cadaveris nimis stricte inhærent quædam collegia, adeoque omissa vel non rite facta inspectione extraordinariam pœnam dictant, etsi sensu communi constet, defunctum ex vulnere esse mortuum. Contra nos in hoc casu pœnam ordinariam dictare solemus, & ita respondimus in casu, **da einer den andern hinter den Tische mit Schrote geschossen / daß nach Aussage der Zeugen dadurch in der lincken Wartze eine Wunde eines Thalers groß verursacht worden**/& vulneratus post horam mortuus esset, sed absque inspectione sepultus. Unde etiam non considerari solet, an vulnus sit absolute lethale, modo intuitu circumstantiarum præsentium lethale fuerit, etsi & hic quædam collegia nimis stricte inhærere soleant absolutæ lethalitati vulneris. Imo cum & medici hic valde dissentiant, ut patet ex Welschii & Bohnii tractatibus *de lethalitate vulnerum*, JCti debent hic magis sensum communem adhibere, non tamen indistincte & sine justa causa a sententiis Medicorum recedere. *An lethalitas vulneris semper ex inspectione dijudicanda? An attendenda absoluta lethalitas vulneris?*

Principem dispensare posse in pœna homicidii etiam dolosi, respondit Facultas nostra, quam sententiam peculiari dissertatione *de jure aggratiandi principis evangelici in causis homicidii*, & in *Notis ad Huberum de* *An princeps dispensare possit in pœna homicidii?*

jure civitatis defendi. Confer. Schilter. *Exerc. XLIX. §. 112. in fine.*

An castratio hominum & ejus pœnæ in usu?

Castrationes hominum apud nos non sunt in USU. Si tamen contingerent volentibus, vereor, ut pœna juris Romani sit recepta, cum apud Italos, unde jus Romanum ad Germanos transiit, quotidie ejusmodi castrationes soleant fieri. Nec obstat *art. 133. constitut. crimin.* ut qui loquitur de poculo sterilitatis & abortionis, & in fœmina additur: **wenn sie es auch selbst thäte** / non vero in mare.

Assassinii origo.

Assassinium ejusque pœnam miror, cur doctores a Parthis deducant, (conf. D. Beyer. *hic pos. 11.*) cum tamen jus Romanum illud non ignoraverit *l. 7. de parricid.* ubi & disponitur, quod eadem pœna puniendus sit, qui sciens pecuniam accepit.

An usus juris Rom. in pœna veneficii?

Differt etiam in pœna veneficii jus Romanum a Germanico. Illud tam veneficium perfectum quam imperfectum, seu animum veneno aliquem occidendi, capitali pœna adficit. Apud Germanos vero posteriore casu mitior pœna obtinet, Huber *in prælect. hic n. 14.* Ipsa etiam pœna vivicomburii, quam Schilterus jure Germanico in hoc delictum statutam dicit *Exerc. XLIX. §. 125. seq.* Romanis incognita erat, uti & pœna rotæ masculis, & suffocatio in aqua fœminis dictata per *art. 130. Constit. crimin.*

An dentur pacta cum diabolo?

Veneficarum pacta cum diabolo facientium existentiam nondum probatam esse, docui in dissertatione *de crimine magiæ*, & fusius ostensum in disp. *de origine & progressu processus inquisitorii contra sagas.* Quæ Lipsiæ contra priorem disputationem scripta sunt, non merentur responsionem, sed autor ad scholam remittendus

tendus

tendus & doctrinam syllogisticam. Primarium ejus fundamentum hoc est: Qui potest corpus assumere, potest agere in corpus; Diabolus potest agere in corpus, ergo potest assumere corpus. Est vitium in forma, ac idem est, ac si quis diceret: Quicunque potest pingere, potest agere in corpus; Infans potest agere in corpus; (v. g. excrementa projiciendo in lintea) ergo potest pingere. Sed cacatum non est pictum. Facile etiam satisfieri potest ex dissertatione nostra prolixo responso pro sententia communi, quod refert Schilterus *Exerc. ad Pand. Tom. III. in appendice.*

An usus jur. Rom. quoad pœnam incendii?

Differentia juris Romani & Germanici quoad pœnam incendii constat ex *l. 1. pr. junct. l. 3. §. 5. ff. h. t.* Imo de pœna incendiariorum jam disposuerunt Specula Saxonicum & Svevicum.

TIT. IX.

De lege Pompeja de parricidiis.

SUMMARIA.

Ratio poenæ parricidii ap. Romanos. An ejus usus || *jure Germanico veteri & recentiori?*

Ratio pœnæ parricidii ap. Romanos.

RAtiones pœnæ parricidis apud Romanos dictatæ, ut scilicet culeo insuantur, vide apud autores Dionysio Gothofredo *ad l. 9. pr. hic* citatos, Vinnium *in Comm. ad §. 6. Inst. de publ. jud.* Huber. *in Prælect. ibid.* Conf. Gloss. *ad jus provinc. Saxon. lib. 2. art. 14.*

An ejus usus jure Germ. veteri & recentiori?

Pœna Romana parricidii sive late sive stricte dicti jure Germanico non fuit simpliciter & absolute recepta. Jus vetus Germanicum pœnas parricidii speciales non habet, *d. lib. 2. art. 13.* Constitutio crimina-

lis *artic. 131, 137.* de parricidio ſpecialem pœnam, ſed a jure Romano diverſam dictavit. At poſtquam JCti Saxonici obſervaſſent, Gloſſatorem ſuum *ad dict. art. 14.* ut modo dictum, illam pœnam juris Romani adduxiſſe, inceperunt pedetentim etiam ſuis reſponſis eam inſerere, (vide Schilter. *Exerc. XLIX. §. 128. 129.*) & ita occaſionem dederunt *Part. 4. conſtitutioni tertiæ.* Quamvis poſtea diu hæc pœna intermiſſa fuerit, interceſſione, ut ferunt, Electricis Annæ, ne rei in deſperatione de ſalute æterna moriantur. Sed noſtris temporibus Lipſiæ iterum pœna ſuffocationis fuit infanticidæ dictata, ſed additis ſaltem animalculis quibusdam in ſeparato ſacculo.

TIT. X.

De lege Cornelia de falſis.

SUMMARIA.

Quæ falſa ad hanc legem pertineant? Pœna falſi de || jure Romano it. Germanico antiquo & hodierno.

Quæ falſa ad hanc L. pertineant? DUbium eſt, an ea omnia, quæ in hoc titulo a JCtis Romanis ad crimen falſi referuntur, ſint èxpreſſe notata per legem Corneliam, utpote quæ duo falſi genera reſpiciebat, circa teſtamenta & rem nummariam, vide Schilter. *Exerc. XLIX. §. 131.* & Beyer. *ad init. h. t.*

Pœna falſi de jure Romano. Ceterum apud Romanos uti crimen falſi infinitas ac varias ſpecies ſub ſe continebat, ſic & variæ & diverſæ erant pœnæ. Vide Huberum *hic*, Schilterum *d. Ex. §. 132. ſeqq.*

It. Germanico antiquo & hodierno. Quemadmodum autem pœnæ Romanæ falſi apud nos non ſunt in uſu, ſic coërcitionem hujus criminis apud Ger-

Germanos pro diversitate variarum specierum variantem, ex principiis jurisprudentiæ veteris explicat Schilter. §. 135. *seq.* Quoad MORES hodiernos adde D. Beyer. *hic.*

TIT. XI.

De lege Julia repetundarum.

SUMMARIA.

Quomodo pœna h. t. dicatur extraordinaria? Quid moribus obtineat?

POena legis Juliæ repetundarum dicitur jure Romano extraordinaria *l. 7. §. fin. hic*, quomodo? cum sit judicium publicum. Distinguendæ sunt variæ pœnæ diversis temporibus huic crimini a Romanis dictatæ, quas curate docet Schilter. §. 139. 140. *Quomodo pœna h. t. dicatur extraordinaria?*

MORIBUS nostris pœna est arbitraria. Id. *in fine d.* §. 140. Certe actio in quadruplum, de qua vide Huberum *hic*, apud nos non est recepta. Utinam vero mores nostri non ita essent corrupti, ut & hæc pœna arbitraria in foro appareret. Jam vero corruptio judicum fere ubivis impune regnat. *Quid moribus obtineat?*

TIT. XII.

De lege Julia de annona.

APud nos fraudatæ annonæ crimen extraordinem punitur, adeoque hujus tituli nullus USUS est, inprimis cum differentia hac parte inter jus Romanum & Germanicum non solum sit ratione monopoliorum, quæ jure Romano sunt prohibita, sed & quod apud Romanos pretium annonæ statuere non fuerit apud magistratus municipales, apud Germanos vero jam *An usus tituli? Differentia juris Rom. & Germanici.*

jam temporibus Speculi Saxonici apud illos ea poteſtas fuerit. Schilter. *Exerc. XLIX. §. 141.* Si verum fatendum, etiam pœna extraordinaria apud nos raro apparet, & potentiores fere impune annonam flagellant.

TIT. XIII.

Ad legem Juliam peculatus, & de ſacrilegis & de reſiduis.

SUMMARIA.

Sacrilegii ſignificatus hodiernus? An pœnæ hujus tituli in uſu?

Sacrilegii ſignificatus hodiernus.

QUoad conceptum ſacrilegii MORES Germanorum, ſecuti jus canonicum, diverſi ſunt a legibus Juſtinianeis. Apud Romanos ſacrilegium committebatur per ablationem rei ſacræ vel religioſæ e loco ſacro vel religioſo. Hodie etiam furtum rei non ſacræ e loco ſacro, item ablatio rei ſacræ e loco non ſacro ad ſacrilegium refertur, per *art. 171. Conſtit. criminalis.*

An pœna h.t. in uſu?

Quoad pœnam etiam in omnibus tribus criminibus hujus tituli inter jus Romanum & MORES noſtros differentiam eſſe, jam obſervarunt alii vid. *Uſ. mod. ad h. t.* Conf. Schilter. *Exerc. XLIX. §. 142. ſeq.* & D. Beyer. *hic.*

TIT. XIV.

De lege Julia ambitus.

SUMMARIA.

Crimen ambitus quid? Cur in Monarchiis non occurrat? An tituli uſus?

Leges

LEges Romanorum varias de ambitu distincte exponit Schilter. *Exerc. XLIX.* §. *144. seq.* ostenditque ambitus crimen esse, quando quis largitionibus populi suffragia in conferendis honoribus & officiis publicis conquirit. Simul etiam subjungit differentiam ambitus a constitutione de suffragiis, §. *146.* *Crimen ambitus quid?*

Quod vero ambitus crimen non adeo conveniat statibus monarchicis, latius ostendit D. Beyer. *Exercit. variar. 10. th. 7.* Unde patet, assertum Hahnii *ad Wesenbecium hic n. 5.* (hodie adhuc in civitatibus, in quibus honores per suffragia conferuntur, in usu esse hanc pœnam) niti sola hypothesi, quod jus Romanum non sit abrogatum. *Cur in monarchiis non occurrat? An tituli usus?*

TIT. XV.

De lege Fabia de plagiariis.

SUMMARIA.

Disputatio de differentia inter furtum & plagium servi an alicujus usus? Pœna plagii ap. Romanos. Pœna Germanorum an sit ex jure Romano?

QUomodo differat plagium servi & furtum, intricata quæstio est, quam occasione *l. penult.* §. *2. h. t.* explicare intendi in *Notis ad Strauch. XIX. 5. p. 217 -- 228.* & in *novis additionibus ad Prælect. Huberi super Institutiones p. 434. seqq.* Sed ea hodie in foris nostris nullum habebit USUM. Schilter. *Exerc. XLIX.* §. *147.* *Disputatio de differentia inter furtum & plagium servi an alicujus usus?*

Historiam legum Romanarum de plagio liberi hominis tradit idem §. *147. 148. 149.* D. Beyer *hic.* Negat tamen Schilterus legi Corneliæ successisse Fabiam, quod defendit Beyerus. Primum pecunia illud cri- *Pœna plagii ap. Romanos.*

 men

men coërcebatur, post damnatione in metallum, item crucis supplicio, vel etiam in honestioribus relegatione & ademtione dimidiæ bonorum partis. A Justiniano gladii pœna dictata fuit.

Pœna Germanorum an sit ex jure Rom?

A Germanis jam diu ante receptum jus Justinianeum pœna capitalis itidem observata fuit, quod exemplo illustrat uterque *loc. cit.* adeoque istius pœnæ usus non deducendus ex jure Romano. Conatus punitur fustigatione. Schilter. §. *149. in fine.*

TIT. XVI.

Ad SCtum Turpillianum & de abolitionibus.

SUMMARIA.

An hic titulus in usu? || *Abolitio publica & aggratiatio quomodo differant?* ||

An h. t. in usu?

CUm apud nos usu non frequententur accusationes, patet etiam, nec hujus tituli posse esse USUM frequentem. Imo etiam ubi accusatio adhibetur, vel certi advocati fisci ad accusandum sunt constituti, tamen nullus usus tituli præsentis est, ob pœnas diversas, inprimis cum cessent rationes juris Romani quoad hoc SCtum, de quibus vide Schilter. §. *150 -- 154.*

Abolitio privata an in usu? Abolitio publica & aggratiatio quomodo differant?

Quid apud Romanos fuerit abolitio criminum, scilicet privata, differens ab indulgentia seu aggratiatione publica, exponit idem §. *151. 154.* Unde patet, quæ Brunnemannus tradit *ad l. ult. C. de abol. n. ult.* quod hodie raro utamur abolitionibus, intelligenda esse de abolitione privata, nam abolitio publica non admodum

modum rara eſt, & differt ab aggratiatione, quod hæc ſit remiſſio pœnæ jam dictatæ, illa vero deletio inquiſitionis nondum abſolutæ.

TIT. XVII.

De requirendis reis vel abſentibus damnandis.

SUMMARIA.

Cur tituli nullus uſus? Finis annotationis bonorum hodiernæ. Eam præcedere debet ſententia. Proceſſus banni Germanicus.

CUm Dd. fateantur, bona abſentium apud Germanos non amplius confiſcari, conf. *Uſ. mod. hic* §. *1.* patet & hujus tituli exiguum eſſe USUM practicum in Germania. *Cur tituli nullus uſus?*

In annotatione bonorum uſum ejus communiter quidem ſupereſſe aſſerunt, verum annotatio hodierna ad alium ſcopum adhibetur *art. 206. conſt. crim.* Ita Dnn. Jenenſes pronunciarunt 1702. menſe Julio in cauſa homicidii: Dieweil H. A. R. um ſicher Geleit angeſucht/ als iſt ihm ſolches gegen Vorſtand auff 800. Thl. zu ertheilen/ und unterdeſſen ſeine Güter zu annotiren/ ihm auch eine rechtliche Friſt zu Beſtellung des Vorſtandes zu ſetzen. Daferne er aber dieſe Friſt vergeblich vorbey gehen läſſet/ iſt mit dem Achts-Proceſs wider ihn zu verfahren. Reus proteſtatus eſt contra ſalvum conductum ſpecialem, & annotationem bonorum, urgens ſaltem ſalvum conductum generalem. Pronunciarunt iidem 1703. menſe Febr: Daß des von R. Suchen wegen eines gemeinen ſichern Geleits nach *Finis annotationis bonorum hodiernæ.*

Gelegenheit dieses falls nicht statt findet / auch bleibt es bey der erkanten und bereits vorgenommenen annotation seiner Güter nochmahls billich / und weil aus allen Umständen erhellet / daß der von R. zu Bestellung des nachgelassenen Vorstandes sich nicht verstehen / und noch weniger erscheinen / sondern zu Abwendung des Achts-Processus, darauff in Unterlassung des Vorstandes allschon gesprochen worden / mit vergeblichen Ausflüchten sich auffhalten werde / so wird nunmehro ohne weitern Verzug damit billig verfahren &c. Sed reus postea cautionem præstitit. Ergo annotatio bonorum apud nos est remedium adigendi fugientes, ut se sistant & cautionem præstent.

Eam præcedere debet sententia.

Ceterum cum ante aliquod tempus alius quidam judex in crimine minori rei ex carcere fugientis reculas, vix ad sustentationem uxoris & liberorum relictorum sufficientes, sine præcedente sententia annotasset, respondit Facultas nostra, quod annotatio debeat cassari, præstita prius ab uxore relicta cautione juratoria, quod marito nulla vivendi subsidia amplius mittere velit.

Processus banni Germanicus.

De processu Germanico banni scripsit quidem Keyserus integrum tractatum, quo nec meliorem habemus. Sed videntur tamen pragmatici, quotquot inspicere licuit, nondum habere distinctum conceptum de circumstantiis omnibus & requisitis illius processus, videlicet ob neglectum jus patrium & nimium studium juris Romani. Ergo processus Germanicus banni eruendus est ex Speculo Saxonico, sed absque ineptiis glossæ, de quo alibi. Confer. Schilter. *Exercit. XLIX.* §. 157. 158. qui & ipse tamen frigide hic disserit.

TIT. XVIII.

De quæstionibus.

SUMMARIA.

An usus tituli? An tortura in republica toleranda? Ejus origo & progressus ap. Romanos & Christianos. Qua ratione & quo tempore pervenerit ad Germanos? An in Germania abroganda? Origo processus inquisitorii.

USUM legum Romanarum sub hoc titulo contentarum exiguum esse, inde patet, cum fere omnia, quæ tam ad indicia eam præcedentia, quam ad torturam ipsam pertinent, haurienda sint ex constitutione Carolina & moribus. Conf. *Us. mod. ad h. t.* *An usus tituli?*

De moralitate torturæ conf. D. Beyer. *hic ab initio*, Schilterum *Exerc. XLIX. th.* 159. *Us. mod. hic* §. *1.* & peculiarem dissertationem inauguralem, sub præsidio meo habitam, cui tamen jungenda *epistola mea ad Respondentem.* Paucis ita tenendum. In republica sana, ut Hebræorum, antiquorum Germanorum &c. nullus locus torturæ. Ubi ergo recepta est, est indicium reipublicæ valde ægrotantis, & dubium, annon melioribus remediis possit obveniri istis nævis, ad quos tollendos tortura adhibetur. *An tortura in rep. toleranda?*

Originem & progressum torturæ in republica Romana diligenter notavit Schilter. *d. l.* §. *160 -- 166.* unde patebit, jure Justinianeo usum torturæ in liberis hominibus fuisse rarissimum. Sed deberet continuari illa historia, & ostendi, applicationem torturæ indistinctam ad liberos homines & legibus confirmatam deberi potissimum consiliis cleri pontificii, crudelitatem principibus commendantis, sub specie zeli *Ejus origo & progressus ap. Romanos.*

divini in crimine hæreseos, magiæ, & aliis similibus, & ita viam monstrantis laicis, similiter sæviendi in criminibus aliis, maxime occultis.

Qua ratione & quo tempore pervenerit ad Germanos? Atque adeo, postquam idem clerus in Germania abrogaverat purgationes vulgares, paulatim etiam ex Italia diu ante receptum jus Justinianeum torturæ usus in Germaniam pervenit, non demum cum jure Romano, ut vult Schilterus *d. l.* §. *164.* quod ostendit differentia generum torturæ Germanicæ in plurimis circumstantiis a quæstionibus juris Justinianei.

An in Germania abroganda? Interim postquam torturæ usus in Germania tamdiu viguit, non facile properandum ad ejus abrogationem, per rationes allegatas in *epistola citata.*

Origo processus inquisitorii unde? Huc etiam pertinet quæstio de origine processus inquisitorii, qui pene unanimi JCtorum sententia non solum ex jure Romano, sed & ex jure divino & Mosaico deducitur. Cujus contrarium tamen probavi peculiari disputatione *de origine processus inquisitorii*, ubi ostendi, soli juri canonico & clero pontificio id intendenti, ut sub specie justitiæ imperium in laicos variis artibus diu quæsitum confirmaretur, hanc originem deberi.

TIT. XIX.

De pœnis.

SUMMARIA.

Quid intelligatur per pœnam an Haut und Haar? *An usus juris Romani ratione pœnarum? An ratione pœnarum civilium? An quoad tempus pœnæ?*

Quid intelligatur per pœ- INepta est explicatio glossæ *ad lib. 2. art. 13. juris provinc. Saxon.* circa denominationem pœnæ, die an Haut

Haut und Haar gehet / quod ſcilicet capilli mediante fuſte complicati extorti fuerint ex capite deliquentis; nec mihi etiam ſatisfacit explicatio altera, quod Germani olim detonſerint furibus capillum prolixum, ut ab aliis cognoſcerentur. Sed potius dicendum, quod apud antiquos Germanos fortiores & duriores ac magis viriles communiter homines in dorſo etiam, in quo fuſtigationem patiebantur, hirſuti fuerint. *pœnam an Haut und Haar?*

In noſtris foris verum eſt, quod ad pœnas legum Romanarum inferendas judices non ſint obſtricti, tum quod illa pœnarum genera nunquam uſu ſint recepta, tum quod noſtræ leges aut certas pœnas criminum definiverint, aut arbitrio prudentum reliquerint determinandas. Schilter. *Exerc. XLIX.* §. *173. 174.* *An uſus juris Romani ratione pœnarum?*

Hinc & pœnæ civiles, id eſt, quæ actoris commodum apud Romanos reſpiciebant, ut hactenus per inductionem probatum fuit, apud nos non ſunt in USU, excepta actione injuriarum. Nec mors civilis in uſu eſt. Vide ſupra dicta *ad tit. de capite minutis.* *An ratione pœnarum civilium?*

Jure Romano pœna differebatur olim in diem decimum, noviori jure in menſem *l. 20. C. h. t.* Quod nec hodie apud nos receptum, ſed diſpoſitio conſtitutionis criminalis & mores cujusque loci hic attenduntur. Conf. *Uſ. mod.* §. *9. 10.* *An quoad tempus pœnæ?*

TIT. XX.

De bonis damnatorum.

De jure Romano quoad confiſcationem bonorum vide Schilterum *Exerc. XLIX.* §. *173.* D. Beyer. *hic*, ubi etiam diſquirit, an MORIBUS noſtris damnati ad mortem habeant teſtamentifactionem. *Confiſcatio ap. Romanos. De teſtamentifactione damnatorum ap. nos.*

TIT.

TIT. XXI.

De bonis eorum, qui ante sententiam vel mortem sibi consciverunt, vel accusatorem corruperunt.

An hæc confiscatio obtineat?

HODIE bona eorum, qui ante sententiam mortem sibi consciverunt, regulariter non confiscantur. Conf. *Uſ. mod. hic §. 1.* Differentia juris Germanici a Romano nititur jure provinciali Saxonico *lib. 2. art. 31.* **Wer durch Urtel und Recht oder von Gerichts wegen seinen Leib verleust / und wer ihm selber den Tod anthut / sein nächster Erb nimt sein Gut.** Sed & hic tamen præjudicia contraria sibi retulit Schilter. *d. l. §. 176.*

TIT. XXII.

